Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
35 I
18
XVII. 23. 29.
N. 2.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

CLYPEUS
NASCENTIS
FONTEBRALDENSIS
ORDINIS
CONTRA PRISCOS ET NOVOS EJUS CALUMNIATORES.

NOVA EDITIO, EA AUCTIOR atque emendatior, quæ anno 1682. prodiit ſub titulo, DISSERTATIONES, *&c.*

IN UTRAQUE AUTEM CORUSCANTE LUCE meridianâ clariùs oſtenditur, de BEATO ROBERTO ARBRISSELLENSI & alumnis ejus, ſiniſtrum non modò, non diſcurriſſe rumorem Marbodi Rhedonenſis Epiſcopi, Goffridi Vindocinenſis Abbatis, & Hildeberti Cœnomanenſis, ac poſtea Turonenſis Præſulis temporibus; ſed ipſos è contrario apud Summos Pontifices, Legatos, Archiepiſcopos, Epiſcopos & Abbates; apud Reges, Reginas Galliæ, Angliæ, & Hiſpaniæ; Principes, Comites, & cæteros Nobiles; necnon apud celeberrimos Scriptores gratiâ floruiſſe.

In memoria æterna erit Juſtus: Ab auditione mala non timebit. Pſal. III. ℣. 6.

TOMUS PRIMUS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

Salmurii.

PARISIIS,

Apud Viduam GEORGII JOSSE, viâ Jacobæâ, ſub ſigno Coronæ Spineæ.

M. DC. LXXXIV.

CUM APPROBATIONIBUS, ET PRIVILEGIO REGIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

APPROBATIO R. P. DE MOMBAREY *Viſitatoris Apoſtolici.*

NOs Frater Petrus Franciſcus de Mombarey, Concionator Capucinus, Regalis Abbatiæ Fontebraldenſis Viſitator Apoſtolicus, perlecto maxima cum attentione & delectatione libro, cui titulus eſt, *Clypeus naſcentis Fontebraldenſis Ordinis, &c.* auctore Reverendo Patre Joanne de la Mainferme, Preſbytero, ſacræ Theologiæ Profeſſore, illum utpote Fidei Catholicæ conſonum, B. Roberti Arbriſſellenſis ſanctitatis teſtem fidelem, totius ſui Ordinis honori perutilem, & omnibus veritatis amatoribus gratiſſimum, auctoritate nobis à ſancta Sede creditâ libenter approbamus. Datum in Abbatia Fontebraldenſi, die 22. Aprilis an. 1684.

Fr. PETRUS FRANCISCUS DE MOMBAREY, Capucinus, Abbatiæ Fontebraldenſis Viſitator Apoſtolicus.

Approbatio Clariſſimi Domini DENYAU, *Doctoris & Socii Sorbonici.*

EGo infrà ſcriptus teſtor me attentè & accuratè legiſſe primum tomum Hiſto-

riæ Ordinis Fontis-Ebraldi, ſub nomine *Clypei, &c.* Opus equidem, ex quo non unicus, ſed mille pendent clypei, adverſus cancerem calumniæ veteris, nunc autem, & à pluribus ſæculis apud ſapientiores antiquatæ. Felix Ordo liliis, omnique ſanctitate conſpicuus, quippe nactus defenſorem Reverendum Patrem Joannem de la Mainferme, verè turrim firmam contra criticos invidioſos: unde lætabuntur filiæ Jeruſalem, cùm totus hic nihil contineat, quod non ſit ſaniori doctrinæ conſonum. In cujus rei fidem ſubſcripſi in domo Decanali, die 29. Junii an. 1684.

CLAUDIUS DENYAU, Socius Doctor Sorbonicus, & Eccleſiæ Andegavenſis Decanus.

Licentia Illuſtriſſimæ ac Religioſiſſimæ D. Dominæ Fontis-Ebraldi.

NOs Soror Maria Magdalena Gabriela de Rochechoüart, permiſſione divina Monaſterii, & totius Ordinis Fontis-Ebraldi, ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinentis, humilis Abbatiſſa, Caput, & Generalis, harum ſerie, dilecto Religioſo noſtro Patri Fratri Joanni de la Mainferme, Preſbytero, Sacræ Theologiæ Profeſſori, licentiam facimus & facultatem edendi in lucem, typiſque mandandi librum à nobiſmetipſis perlectum, à Vicariis autem noſtris & Theolo-

Digitized by Google

giæ Profeſſoribus recognitum & approbatum, cui titulus eſt, *Clypeus naſcentis Fontebraldenſis Ordinis*, &c. Datum in præfato Monaſterio die 2. Januarii an. 1684.

M. M. GABRIELA DE ROCHECHOÜART.

Approbatio R. Patris Prioris Fontis-Ebraldi, & Viſitatorum Ordinis.

LIBRUM cui titulus eſt, *Clypeus naſcentis Fontebraldenſis Ordinis*, &c. quâ voluptate pervolvimus, judicet Lector quiſquis non ignorat ſanctiſſimi Patris dedecus in Filios refundi. Apud nos deſpectui diu fuit inofficioſæ moroſæque critices temeritas. Tacebat ergo ſacer Ordo, & bene tacebat, qui defenſione non egebat: at nunc penè piaculum ſilere, & è latebris ſuis veritas erumpat oportet. Hanc feliciter urgente charitate prodit, illuſtrat, tuetur R. P. de la Mainferme, Sacræ Theologiæ Profeſſor Clypeo ſuo Fontebraldenſi, quo noſtrum dum tegit Ordinem, detegit ſycophantarum calumnias. Jam ſcuto circumdabit nos ipſa veritas, denſiſſima & clariſſima ſimul rationum nube in hocce libro inſtructa: in quo non modò nihil deprehendimus, quod Fidei Catholicæ, morum integritati, aut veritati hiſtoricæ tantulùm adverſetur; quin potiùs omnia luce ve-

ritatis perfuſa, ac zelo probatæ pietatis conſperſa magna cum animi voluptate reperimus. Datum Fonte-Ebraldi in Comitiis generalibus Kal. Junii an. 1684.

Fr. H. LE COINTE, Prior Fontis-Ebraldi.
Fr. A. DROUÏN, Conventuum in Alvernia Viſitator.
Fr. J. MENARD, Provinciæ Aquitanicæ Viſitator.
Fr. M. SORIS, Aremoricæ Provinciæ Viſitator.
Fr. C. DE COETLOGON, Conventuum in Francia Viſitator.
Fr. S. SORIS, Sacræ Theologiæ Profeſſor.

ADMONITIO.

CAP. 3. & 4. Diſſert. 2. multa retulimus de meritis Epiſcoporum in B. Robertum primoſque ejus alumnos, & de obedientia, veneratione, & reverentia ab eodem ſancto Fundatore Præſulibus exhibita, qui cum ſuas in diœceſes ad nova conſtruenda Cœnobia accerſiverunt. Retulimus etiam pag. 129. hæc beati Inſtitutoris verba, quibus Petrum Pictavienſem Epiſcopum, venerabileſque Canonicos S. Pictavienſis Matricis Eccleſiæ alloquens, ait de Eccleſia Fontis-Ebraldi: *Ut Eccleſia veſtra, tanquam chariſſimæ Matri obediens filia, ſpecialiter privilegio dilectionis adhæreat.* Ex quibus falsò tamen quiſpiam colligeret Fontebraldenſem Ordinem non gaudere privilegio exemptionis ab Ordinariorum juriſdictione. Hæc enim Charta data eſt anno 1109. Iſto itaque annò ab Epiſcopali juriſdictione, attento jure communi, Fontebraldenſis Ordo non erat immunis: à qua tamen vindicatus eſt diplomate Paſchalis ſecun-

Digitized by Google

di anno 1113. id eſt, anno ab Ordine condito decimo tertio. *Ad indicium autem*, inquit Paſchalis, *perceptæ à Romana Eccleſia protectionis ac libertatis duos Pictavienſis monetæ ſolidos quotannis Lateranenſi Palatio perſolvetis.* Callixtus II. anno 1119. Honorius II. anno 1126. Innocentius II. anno 1130. eorumque ſucceſſores Fontem-Ebraldi in locorum numerum adſcribunt, *quæ B. Petri juris exiſtunt, ad Romanam ſpecialiter ſpectant Eccleſiam, & ſub protectione & jure B. Petri ſunt poſita.* Honorius III. diplomate dato anno 1214. ait: *Cùm igitur Monaſterium veſtrum Eccleſiæ Romanæ ſit immediatè ſubjectum.* Innocentius IV. alio diplomate an. 1245. vocat *Monaſterium Fontis-Ebraldi ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinens, &c.* Hæc obiter de Fontebraldenſis Ordinis exemptione, de qua copioſiùs in tertio tomo, ubi de inſignibus ejuſdem Privilegiis diſſeremus.

SUMMA PRIVILEGII
Regis Chriſtianiſſimi.

LUDOVICUS XIV. Galliarum & Navarræ Rex Chriſtianiſſimus diplomate ſuo ſanxit, ne quis citra Illuſtriſſimæ ac Religioſiſſimæ Dominæ Mariæ Magd. de Rochechoüart, Abbatiſſæ, Capitis, & Generalis Fontebraldenſis Ordinis nutum & voluntatem imprimat aut divendat intra decem annos *libros ſuis à Religioſis compoſitos, ad prædicti Ordinis originem progreſſumque cognoſcendum utiles*. Qui ſecus faxit, confiſcatione librorum, aliaque pœna mulctabitur, uti latiùs patet in Literis apud Verſalias datis die 19. Novembris an. Domini 1683. ſignatis,

FALENTIN.

Inſcripta Regiſtro Bibliopolarum Pariſienſium juxta Senatûs Decretum, die 26. Auguſti 1684. *Sign.* C. ANGOT, *Syndicus.*

BEATO

Digitized by Google

BEATO Roberto de Arbriſſello,
Ab ipſo primo pueritiæ exordio caſtimoniâ,
Cæteriſque virtutibus divinitùs
Decorato:
Orphanorum Patri,
Virginum cuſtodi,
Viduarum ſolatio,
Omnium miſerorum certiſſimo
Profugio.
Perpetuo Hæreticorum malleo,
Pietatis causâ ab impiis quàm plurima
Perpeſſo:
Amore Chriſti, & Mariæ flagrantiſſimo,
Orbis Concionatori Apoſtolico,
Font-Ebraldenſis Ordinis Patriarchæ,
Miraculis cujuſlibet generis
Clariſſimo.
Trinæ gentis Chriſtianæ
Eccleſiaſticæ, Monaſticæ, & Laïcæ
Doctori probatiſſimo.
Magnæ authoritatis viro, eximiæ ſanctitatis religioſo,
Infinitæ Religionis Presbytero.
Habitaculo Ieſu Chriſti, organo Spiritus ſancti,
Vicario Altiſſimi.
Ioſephi Sapientiâ, Phineæ zelo,
Tobiæ charitate,
Cæterorum Patriarcharum
Prærogativis ſingularibus,

Digitized by Google

Magis ac magis admirando,
Ardenter imitando,
Inclyto.
In vita magnis honoribus, in morte majoribus,
Poſt mortem maximus
Cumulatiſſimo.
Cælo gaudente, terrâ plorante, inferno frremente,
Glorioſo fine
Conſummato.
Beati nomine conſtanter hactenùs
Inſignito,
Cujus ſanctitatem commendarunt
Papæ, Epiſcopi, ſcriptores;
Precibus, votis, ac donariis teſtantur homines;
Catervatim formidarunt dæmones.
Ob
Innumera ſibi collata beneficia
Plura, quæ expectat
In vitâ, & morte,
Filii titulum quem præfert, licet indignè.
Diſſertationes has Apologeticas
Quantâ poteſt animi demiſſione
Dicat, offert, conſecrat,
FR. IOANNES DE LA MAINFERME
Religioſus Font-Ebraldenſis.

Hæc omnia ad unum elogia, Beato Roberto mox tributa, deſumpta ſunt ex luculentiſſimis ſummorum Pontificum, Legatorum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & celeberrimorum Scriptorum de Sanctitate ipſius teſtimoniis.

Digitized by Google

PRÆFATIO.

QUAMVIS Chriſtus Dominus à ſcribis & Phariſæis de multis & graviſſimis criminibus nefariè fuerit inſimulatus, de commercio cum Dæmone, de ebrietate & impietate, de violatione ſabbati, de fraude & fallaciâ, &c. provocavit tamen eos verbis Joan. 8. verſ. 46. relatis: *Quis ex vobis arguet de me peccato?* Simili objurgatione videtur uti potuiſſe B. Robertus de Arbriſſello, qui inter hæreticos, ſimoniacos, & impudicos vitam egit ſicut roſa vel lilium inter ſpinas. Hi flores inter ſpinas orti, ab iiſdem ſpinis nimiùm ſe protendentibus, & uſque ad ipſos pertingentibus aliquando vulnerantur; nec tamen ab incremento ſuo lilium conquieſcit, aut odorem ſuaviſſimum roſa afflare deſinit. Sic ſanctus iſte Inſtitutor inter facinoroſos homines verſatus, linguarum aculeis clàm & occultè nonnunquam ſauciatus eſt, bonum tamen odorem nunquam intermiſit, nec à virtutis & perfectionis incremento deſtitit. Poterat ergo præfatis verbis improbos laceſſere: *Quis ex vobis arguet me de peccato in utraque probroſa Epiſtola objecto?* Sed maluit exemplo Chriſti aliàs tacentis, calumnias æquo animo ſuſtinere, ut ad meritum ſuum major ex heroïca patientiâ cumulus accederet. Nos Patrem noſtrum amantiſſimum imitati eaſdem calum-

nias patienter tulimus, tacuimus, diſſimulavimus, & alumni Ordinis inter calvariæ opprobria nati, ſaturandos nos opprobriis, antequam conquereremur, exiſtimavimus. Sed cùm ad ſummum jam calumnia progreſſa ſit, charitas urget nos, charitas, inquam, quæ [a] *non gaudet ſuper iniquitate: congaudet autem veritati.* Intendimus ergo beatum Robertum purgare, eamque nominis amplitudinem ipſi nunc conciliare, quam olim conſecutus eſt. Non quòd ſanctus iſte Inſtitutor, torrente voluptatis potatus, humanis indigeat laudibus; ſed ut Diabolus, quo inſtigante, probroſas Epiſtolas confinxit impius hæreticus, etiam ante judicii diem (ut ait Euſebius Emiſſ. Homil. 1. de ſancto Stephano) pœnas nequitiæ ſuæ perſolvat. *Etſi ſancti*, inquit, *humanis non indigeant laudibus, tamen hominum ſtudiis celebrantur: ut dum in exemplum proponuntur, etiam gloriæ eorum currat argumentum. Denique ut antiquus ille Religionis inimicus, etiam ante judicium ſentiat pœnam malitiæ ſuæ, per quam ſe Sanctorum gloriæ intelligit militaſſe.* Intendimus etiam labem in nos redundantem delere, implentes illud 2. Cor. 8. v. 20. *Devitantes hoc, ne quis nos vituperet in hac plenitudine, quæ miniſtratur à nobis. Providemus enim bona, non ſolùm coram Deo, ſed etiam coram hominibus.* B. Robertus Parens noſter eſt colendiſſimus, noſque ejus filii: quid adhuc egemus impulſoribus? Accedit tamen ſtimulus à piis viris admotus, qui ſilentium noſtrum in aliorum vergere ſcandalum ægrè ferunt, illorum ſcilicet, qui crimina viro Dei fallaciter impoſita, manifeſtò comperta atque deprehenſa imprudenter exiſtimant. Sic enim calumnias contundere tenemur, non tolerare, ut ait D. Gregorius Homil. 4. ſuper Ezechielem: *Linguas detrahentium ſicut no-*

[a] 1. Cor. 10. verſ. 6.

ſtra

ſtro ſtudio non debemus excitare, ne ipſi pereant, ita per ſuam malitiam excitatas debemus æquanimiter tolerare, ut nobis meritum creſcat. Aliquando autem etiam compeſcere, ne dùm de nobis mala diſſeminant, eorum qui audire nos ad bona poterant, corda innocentum corrumpant. Ad omnes igitur B. Roberti accuſatores hæc noſtra ſpectat interrogatio, *quis ex vobis arguet ipſum de peccato?* Quis ex vobis argumentis, rationibus, & teſtimoniis tot & tantorũ ſcelerum reum convincet? Quid eſt, quod autoritatem Goffridi Vindocinenſis Abbatis, & Marbodi Redonenſis Epiſcopi ementiamini? Epiſtolæ, ipſorum nomina præferentes, non ſunt ab ipſis conſcriptæ, ſed à Roſcelino hæretico, vel aliquo alio hujuſce furfuris calumniatore nequiter confictæ, fabuliſque, falſitatibus, & calumniis confarcinatæ. Id in tribus Clypei noſtri tomis non obſcurè oſtendetur. Tomi primi Diſſertatio prima utriuſque contumelioſæ Epiſtolæ titulum impugnabit. Diſſertatio verò ſecunda ſpeciales in B. Robertum calumnias diluet. Tomi ſecundi Diſſertatio tertia communes in B. Robertum & alumnos ejus falſas criminationes contundet. Tomi denique tertii Diſſertatio quarta inſtitutam à pio Fundatore Sacerdotum ad mulierem Antiſtitam ſubjectionem própugnabit, ad cujus calcem appendix de inſignibus Ordinis Fontis-Ebraldi privilegiis ſubjicietur, præmiſſis tamen & ſolutis his duabus quæſtiunculis.

Quæres primò. Cur *Beatum* & *Sanctum* appellem Robertum, cum nondùm in cœlitum tabulas Pontificis Maximi ſententiâ ſit adſcriptus?

℟. 1. Cum ſanctiſſimus Dominus noſter Urbanus Papa octavus die 13. Martii anni 1625. decretum ediderit, & die 5. Junii anni 1631 ita explicuerit, ut nimirùm non admittantur elogia *Sancti* ac *Beati* ab-

Digitized by Google

ſolutè, & quæ cadunt ſuper perſonam; benè autem ea quæ cadunt ſupra mores & opinionem: huic decreto ejuſque declarationi, obſervantiâ & reverentiâ quâ par eſt inſiſtendo, profiteor me haud alio ſenſu quidquid in his Diſſertationibus refero, accipere, aut accipi ab ullo velle, quàm quo ea ſolent, quæ duntaxat humanâ autoritate, non autem divinâ Catholicæ Romanæ Eccleſiæ, aut ſedis Apoſtolicæ nituntur; iis tantummodò exceptis, quos eadem Sancta ſedes, Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum catalogo adſcripſit.

R. 2. Videri, Urbanum octavum de novis ſanctis excepiſſe Robertum hac declaratione. *Declarantes, quod per ſupra ſcripta præjudicare in aliquo noluimus, neque intendimus iis, qui aut per communem Eccleſiæ conſenſum, vel immemorabilem temporis curſum, aut per Patrum virorumque Sanctorum ſcripta, vel longiſſimi temporis ſcientiâ ac tolerantiâ præfatæ ſedis Apoſtolicæ vel Ordinarii coluntur.* Robertus autem de Arbriſſello ante quingentos annos Beatus fuit prædicatus à Baldrico Dolenſi Archiepiſcopo, & inſigni ſapientiâ prædito ſcriptore. Ita cap. 1. vitæ ſancti Inſtitutoris num. 7. *fuit igitur Beatus, de quo loqui diſpoſuimus, Robertus, Chriſtianæ profeſſionis cohæres & filius.* Et cap. 4. n. 24. *præter illa, quæ fecit Beatus Robertus miracula.* & num. 25. *annis revolutis & annis, quibuſdam judiciis ſenſit Beatus Robertus finem ſuum appropinquare.* A Leodegario etiam Bituricenſi Archiepiſcopo chartâ anno 1118 datâ. *Ego Leodegarius Bituricenſis ſedis humilis Archiep. notum fieri volo præſentibus & futuris, quod Beatus Robertus de Arbriſſello bonæ memoriæ miles Chriſti, à ſæculo migrans ad Dominum, mulieres Deo devotas, quæ apud Urſanum liberè ipſi deſerviunt, in tutelâ noſtra dereliquit.*

Digitized by Google

Nec *Beati* ſolùm, ſed etiam *Sancti* titulo ab omni retrò memoria fuit inſignitus. Habet enim & in priſcis litaniarum ſupplicationibus Eccleſiaſticus ordinis ritus, hanc beati patris Roberti, poſt ſancti Benedicti, invocationem. *Sancte Roberte, Magiſter bone, ora pro nobis.* Fons ibi in valle ſcaturiens, & à viro Dei dùm viveret, precibus per miraculum eductus ê terra, non aliter quam *fons ſancti Roberti* nuncupatur. Cor ejus apud Urſanum conditum *cor ſanctum* dicitur: imo ara, quæ proxima eſt, *ara ſancti cordis* appellatur. Uno verbo, non ſolùm tolerantiâ, ſed & aſſenſu Ordinariorum in Bituricenſi, Redonenſi, & Pictavienſi Diœceſi, publicâ Religione, & cultu divis adhiberi ſolito Robertus obſervatur. Immenſa foret oratio, ſi enumerare vellem omnia pietatis officia, quibus ejus reliquiæ coluntur inſtanter. Quot ad ejus monumentum quotidiè ſupplices accedunt, vel beneficia petituri, vel de acceptis gratias acturi!

Adde primò quòd antiquitùs ab obitu ſancti Fundatoris, itidem ut ab incarnatione divini verbi, anni computarentur à Font-Ebraldenſibus. Patet primò ex Font-Ebraldenſis chartularii chartâ 270, quæ data refertur *anno ſecundo obitùs Magiſtri Roberti.* † Notum ſit tam præſentibus, quam futuris, quòd Petronilla prima Fontis-Ebraldi Abbatiſſa, conceſſit Gunterio Candatenſi atque Mainerio ejus fratri beneficium totius Fontis-Ebraldenſis Congregationis, &c. Conceſſit inſuper & ut ipſe jaceat Font-Ebraudi. Quòd ſi in alienis regionibus obierit, officium pro ejus anima apud Fontem-Ebraudi fiet, poſtquam mors ejus audita fuerit. Hoc firmatum eſt apud Fontem-Ebraudi 7. idus Januarii ANNO SECUNDO OBITUS MAGISTRI ROBERTI. In audientiâ fratrum ejuſdem loci, ſcilicet Giraudi de Bria, Benedicti de Burgulio, Ragi-

„ naudi de Moncantorio teſtantibus Achardo laidet,
„ Raginaudo de la Flecha, &c. Patet 2° ex triplici Martyrologio, prioratûs ſcilicet de Fontanis in Franciâ, majoris Monaſterii, & Conventûs B. Lazari Font-Ebraldenſis, in quo ſic habetur. *Pridie Kalend Septemb. dedicatio majoris Eccleſiæ Fontis-Ebraldi, quam Papa Callixtus ſecundus conſecravit in honore ſanctæ Mariæ ſemper Virginis, & B. Apoſtolorum Petri & Pauli anno ab incarnat.* 1120. *& à tranſitu Magiſtri Roberti quarto.*

Adde ſecundò, quod etiam dona Font-Ebraldenſi Ordini collata ſuper altare majoris Eccleſiæ, & deindè ſuper ſepulchrum viri Dei confirmarentur, ut fert
„ charta 784. † Notum ſit omnibus tam futuris,
„ quam præſentibus, quod ego Rainaldus Eſcurellus
„ dono Deo, & ſanctæ Mariæ de Fonte-Ebraudi, dom-
„ no Roberto de Arbriſſello, & ſanctimonialibus Deo
„ ibi ſervientibus, terram, prata, Molendinum, &
„ excluſas & aquam apud Villambretam, &c. Hujus
„ rei teſtes ſunt Joldoinus de Remorentino, Rober-
„ tus Bechinon, Arraudus de Jovinillo, Ranulphus de
„ Langon, &c. Hoc autem donum factum eſt, apud
„ Villambretam ſuper ipſam terram, in præſentiâ
„ fratrum, & Agnetis Prioriſſæ, quondam comitiſſæ.
„ His itaque datis, poſt breve tempus, ego Rainal-
„ dus Eſcurellus, veni ad Fontem-Ebraudi, donum-
„ que, quod anteà feceram, confirmavi, & conceſſi,
„ ſcilicet in majori Eccleſiâ ejuſdem loci SUPER PRO-
„ PRIUM ALTARE SANCTÆ MARIÆ, ET SUPER SE-
„ PULCRUM DOMNI ROBERTI, cum cultello manu-
„ brii albi. Iſtius rei ſunt teſtes Petrus de Balort, Goſ-
„ celmus Bocellus de Semblençai, Robertus de Buſ-
„ ſeio, &c. In præſentia Rainerii Pictavenſis capi-
„ cerii, Rainaudi de Coceio, Huberti ſcribæ, Gaufridi
„ de Lineriis, & aliorum fratrum.

Adde tertio, quod inſuper coram eodem tumulo, non ſecùs ac coram ſacris reliquiis Fonte-Ebraldi vota emitterentur: in aliis verò conventibus coram cenotaphio, hac formulâ. † Ego ſoror Elizabeth pro-" mitto ſtabilitatem & converſionem morum meo-" rum, & obedientiam ſecundùm Regulam ſancti" Benedicti Abbatis, coram Deo & omnibus ſanctis" ejus, in hoc loco, qui dicitur Fons-Ebraudi. con-" ſtructo in honore Salvatoris mundi, & ſanctæ Ma-" riæ ſemper Virginis, ANTE SEPULCRUM DOMINI" ROBERTI PATRIS NOSTRI, & in præſentia Dominæ" Mabiliæ Abbatiſſæ anno 1244.) quæ quidem formula omninò congruit cum iſtâ apud piiſſimam Congregationem ſancti Mauri uſu receptâ. † Ego Fr. N. promitto ſtabilitatem & converſionem mo-" rum meorum, & obedientiam ſecundùm Regulam" ſancti Patris Benedicti, coram Deo & ſanctis ejus," quorum reliquiæ habentur in hoc Monaſterio, in" præſentia R. P. Prioris, &c.

Itaque Urbani 8 decretũ, quo prohibuit, *ne admittantur elogia beati & ſancti abſolutè, & quæ cadunt ſuper perſonam*, non videtur de Roberto intelligendum. Unde non veremur, ne quis nos exſibilet, quòd tam liberè illum *beati* & *ſancti* nomine decoremus, qui *beatus* & *ſanctus* unanimi populorum pietate, etiam in ſacris litaniis ſemper audiit: & ſi quis nos de Roberti gloria, de jure noſtro appellaret, poſſeſſionem quingentorum & quinquaginta annorum præſcriptione munitam objiceremus. Eodem jure, eodemque ſuffragio, ipſum & *beatum* & *ſanctum* eſſe propugnaremus, quo Yvonem Carnotenſem, quo Brunonem Charthuſiani Ordinis Inſtitutorem, quo reliquos ejuſdem ætatis, quos ſola populi vox & religio tam præcellenti titulo illuſtravit.

Quæres 2° Ex quâ Gallicâ provinciâ beatus Robertus ſit oriundus?

℟. 1° Guerroſium in commentariis de Trecenſium ſanctitate ad annum 1106. Robertum natum affirmare, altero ab Auguſtâ Trecarum lapide, vico cui *Harbruſſel*, nomen. Sed rejicitur communiter: tum quia nullum profert autorē, qui Robertum Campaniæ Gallicæ adſcribat: tum quia nullum adducit argumentum, quo id ſuadeat, præter illam unicam vocem.

℟. 2° Baronium, Robertum dixiſſe Pariſienſem. Verùm id vitio Librarii contigiſſe autumat P. Theophil. Raynaudus S. J. cum enim in Baronii autographo eſſet, *Robertus de Arbruſſello, Theologus Pariſienſis.* Incogitans aut prçceps Librarius, ejuſque mendo inhærens Typographus, dixit *Robertus de Arbruſcello Pariſienſis.*

℟. 3° Robertum editum eſſe in vico exili, ſeptem leücis diſtante ab urbe Redonum in Britannia Armoricâ, qui tunc *Arbriſſellum* dicebatur: nunc verò *Arbreſec* vulgò nuncupatur. Ita Baldricus Dolenſis Archiepiſcopus, qui & Robertum novit, & propinquum Fontis-Ebraldi Burgulienſe cœnobium rexit, ſic enim omnem dubitandi cauſam amputans cap. 1. vitę Beati Roberti num. 7. ait *fuit igitur beatus, de quo loqui diſpoſuimus, Robertus, Chriſtianæ profeſſionis cohæres & filius Britanniæ minoris alumnus, quam provinciam decoravit Sacerdos, ex pago Redonenſi oriundus, villæ, quæ vulgo Arbriſſellum nuncupatur, indigena & colonus. Pater autem ipſius Damaliochus. Mater verò Orguendis nominabatur.* Non potuit Baldricus accuratiùs ſignare Roberti parentes & patriam.

Itá ſimiliter illi, qui Silveſtro Redon. Epiſc. de Roberto ſciſcitanti hæc retulerūt *de quo loquimur Robertus, domine, tuus naturalis eſt: nam & Redonenſis eſt: tuiſque inſtitutionibus ſatis accommodus.* Quo nihil clariùs. Ita ipſe Silveſter, accerſitum Robertum his

verbis compellans. *Vides*, inquit, *frater chariſſime, quomodo ſancta Redonenſis Eccleſia mater tua ſine regimine vacillat.* Redonenſem enim, non verò Trecenſem aut Pariſienſem Eccleſiam matrem Roberto vindicat.

Confirmatur ex charta 54. Abbatiæ de Rotâ, in qua ſic habetur *Roberto de Arbriſſel viro magnæ autoritatis & infinitæ Religionis Hervæus Deſpina, vir magnæ nobilitatis dedit Eccleſiam de Arbriſſel cum omnibus ad eam pertinentibus: quod donum conceſſit Marbodus Redonenſis Epiſcopus.* Ex quibus compertum eſt, & Eccleſiam de Arbriſſel eſſe in Redonenſi Epiſcopatu, cum illam Eccleſiæ B. Mariæ de Rotâ conceſſerit Marbodus Redonenſis Epiſcopus; & Robertum ex iſtâ Eccleſia eſſe oriundum, cum ab ea *de Arbriſſel* ſit cognominatus. Quomodo verò Pariſienſis aut Trecenſis, qui in vico Redonenſi & Armorico eſt editus?

Digitized by Google

CONTRACTVS
FONT-EBRALDENSIS
ORDINIS
CLYPEUS.

CONTRACTUM Font-Ebraldenſis Ordinis Clypeum primò exhibemus, ut lectori conſtet, unoque intuitu liqueat ſingulare omnium coætaneorum de clariſſimâ maximaque B. Roberti & Font-Ebraldenſium probitate judicium. Duplici conſtabit indice. In primo nomina & teſtimonia nonnullorum illuſtrium virorum, qui ſanctum Inſtitutorem, & primos ejus alumnos ſuaviſſimâ complexi ſunt benevolentiâ proferemus; duabus duntaxat ſubjectis reflexionibus in illorum gratiam, quibus copia non eſt in hujuſmodi lectionibus diutiùs immorandi. In ſecundo indice prędaudati Roberti virtutes Scripturæ Sacræ, Sanctorumque Patrum judicio ponderabimus, præclarum illud ſecuti D. Auguſtini monitum lib. 2. contra Donatiſtas cap. 2. *Non afferamus ſtateras doloſas, ubi appendamus quod volumus, ſed afferamus divinam ſtateram de Scripturis ſanctis, tanquam de Theſauris Dominicis, & in illâ quid ſit gravius, appendamus: immò non appendamus, ſed à Domino appenſa recognoſcamus.*

Digitized by Google

INDEX

PARTIM CHRONOLOGICUS, PARTIM alphabeticus, nonnullorum illuſtrium virorum, qui Font-Ebraldenſes beneficiis, amore, atque laudibus proſecuti ſunt; & Roberti Arbriſſellenſis, Marbodi Redonenſis Epiſcopi, Goffridi Vindocinenſis Abbatis, Hildeberti Cœnomanenſis ac poſteà Turonenſis præſulis, & Petronillæ primæ Fontis-Ebraldi Abbatiſſæ temporibus claruerunt.

QUÆDAM PRÆNOTANTUR.

PRIMÒ *de Roberto Arbriſſellenſi.* Circa annum 1047 naſcitur. Circiter annum 1085 à Silveſtro Epiſcopo Redonas evocatur. Anno 1096 Andegavi coram Urbano ſecundo ſummo Pontifice concionatur. Anno 1100 Abbatiam Font-Ebraldenſem fabricatur. Anno 1116. vel 1117. ſeptuagenarius moritur.

Secundò *de Marbodo Redonenſi Epiſcopo.* Circiter annum 1096 Redonenſis Epiſcopus creatur. Anno 1097 *Eccleſiam de Arbriſſel Roberto Arbriſſellenſi, viro utpote magnæ autoritatis & infinitæ Religionis impertitur.* Circiter annum 1108 ex reſcripto Paſchalis ſecundi, controverſia de Abbatiâ ſancti Albini inter Archembaldum & Paganum *à Marbodo Redonenſi, Hildeberto Cœnomanenſi, Goffrido Vindocinenſi, & Roberto Arbriſſellenſi* definitur. Anno 1118 *Marbodus in Concilio Engoliſmenſi cum Hildeberto & pluribus aliis Epiſcopis, Font-Ebraldenſibus favit inſigniter.* Factus tandem Monachus apud ſanctum Albinum Andegavenſem, anno 1123 ex hac vitâ migravit.

Digitized by Google

Tertiò *de Goffrido Vindocinenſi Abbate.* Defuncto Bernone, anno 1099 quintus Abbas Vindocinenſis Monaſterii renuntiatur. Circa annum 1101 ſive ſub *initium Ordinis, ſæpe ſæpiùs Fonte-Ebraldi diverſatur, & Deo dilectas B. Roberti vocat alumnas.* Anno 1114 *cum Roberto & Monialibus ejus arctiſſimam init ſocietatem, & præ omnibus Abbatibus familiaris & beneficus Fontis-Ebraldi prædicatur.* Poſt beati Roberti obitum, *ad hunc etiam locum frequenter divertebat, ut in ipſius Epiſtola 24 & 26 lib. 1. innuitur.* Anno 1124 donis afficitur Turoni à Fulcone Andegavenſi Comite. *Teſtis Petronilla Fontis-Ebraldi Abbatiſſa.* Paulò poſt ſubſcribit concordiæ ab Ulgerio Epiſcopo inter *Petronillam* & quoſdam alios de vineis altercantes Andegavi conſtitutæ. Anno 1132 obiiſſe exiſtimatur.

Quartò *de Hildeberto Cœnomanenſi ac poſteà Turonenſi præſule.* Anno 1097 in Hoëlli Cœnomanenſis Epiſcopi locum ſufficitur. Circa annum 1108 *cum Raginaudo Andegavenſi Epiſcopo, & Petro Pictavienſi Antiſtite controverſiam inter Abbatiam Fontis-Ebraldi, & Abbatiam ſancti Florentii Salmurii componit.* Anno 1118 *cum Marbodo Redonenſi Font-Ebraldenſium cauſam in Engoliſmenſi concilio contrà Gauterium Nantolienſem Abbatem ſuſcipit.* Anno 1125 ad Turonenſem Archiepiſcopatum promovetur. Anno 1129 *Font-Ebraldenſes Moniales nuncupat Virgines Chriſti*, Epiſtolâ 69 ad Honorium ſecundum datâ, *& eleemoſinam ipſis ab Henrico primo Anglorum Rege erogatam Apoſtolicâ authoritate petit confirmari.* Anno 1136 vita privatur.

Quinto *de Petronilla prima Fontis-Ebraldi Abbatiſſa.* Orba marito, Domino deCamilliaco, anno 1100 Beato Roberto concionanti adhæſit. Anno

1104

Digitized by Google

104 Herſende prioratũ tenente procuratricis munere fungitur. Defuncta Herſende Principiſſa de Monte-Sorelli, major Fontis-Ebraldi Prioriſſa circiter annum 1110 à B. Roberto creatur. Anno 1115. totius Ordinis Abbatiſſa à ſancto Inſtitutore conſtituitur. Anno 1119 à Callixto ſecundo Summo Pontifice, & anno 1129 ab Henrico primo Anglorum Rege inviſitur, doniſque decoratur. Anno 1134 à Ludovico Craſſo Gallorum Rege apud Montem Martyrum; & anno 1146 à Ludovico Juniore Pictavi benignè clementerque accipitur. Beneficiis, laudibus, & privilegiis à ſeptem Summis Pontificibus, quatuor Legatis, quindecim Archiepiſcopis, quadraginta quinque Epiſcopis, totidem Abbatibus, & innumeris Principibus, Comitibus, & Nobilibus cumulatur. Anno 1149 è vinculis corporis evolat.

NOMINA ET TESTIMONIA nonnullorum illuſtrium virorum, qui B. Roberto & primis ejus alumnis maximam præſtiterunt benevolentiam.

Antiſtites Romani.

1° URBANUS ſecundus, genere Gallus, filius Domini *de Lageri* propè Caſtillionem ad Matronam, Pontifex ſalutatur anno 1088. infulam cum vitâ exuit anno 1099.

2° Paſchalis ſecundus, Tuſchus, ex ſancti Laurentii extra muros Abbate conſtituitur Papa anno 1099. deceſſit anno 1118.

3° Gelaſius ſecundus, Cajetanus patriâ, ad Pontificium onus aſcitus eſt anno 1118. In Cluniacenſi Monaſterio diem clauſit extremum anno 1119.

Digitized by Google

4° Callixtus ſecundus, Guido à Burgundia vocitatus, ex Viennenſi Archiepiſcopatu ad Pontificiam dignitatem provectus anno 1119, obiit anno 1124.

5° Honorius ſecundus, Lambertus de Fagnano nuncupatus, Callixto ſubrogatus fuit anno 1124. morte ſublatus eſt anno 1130.

6° Innocentius ſecundus, Romanus, Pontifex maximus eligitur anno 1130. è vitâ migravit annò 1143.

7° Lucius ſecundus, Bononienſis, anno 1144 inauguratur: ad meliorem vitam tranſlatus anno 1145.

8° Eugenius tertius, Piſanus, Pontificali Thiarâ condecoratur anno 1145: & anno 1153 naturæ ſatisfecit.

Selecta prædictorum Pontificum de Beati Roberti, & primorum ejus alumnorum ſanctitate atque exiſtimatione teſtimonia.

1° URBANUS ſecundus teſte Baldrico cap. 2. vitæ beati Roberti num. 14. aſſeveravit, ſe cum Robertum concionantem Andegavi audiit anno 1096, intellexiſſe, quòd Spiritus ſanctus os ejus aperuerit; ideoque Apoſtolici concionatoris ei munus impoſuiſſe. *In tanto Conventu Robertum loqui præcepit. Locutus eſt ergo luculenter ad populum, cujus verba valdè Domino Papæ placuerunt. Intellexit enim quod Spiritus ſanctus os ejus aperuerit. Imperat denique, & injungit ei prædicationis officium, & ſecundum à ſe eum ſtatuit Dei ſeminiverbium.*

2° Paſchalis ſecundus diplomate dato Laterani anno 1106, Robertum virum venerabilem, & magnæ Religionis, dum adhuc viveret, appellavit, qui Religionis ſtudiis indeſinenter inſiſtit. *Venerabilis ſiqui-*

Idem frater noſter Petrus Pictavienſis Epiſcopus, audientiæ noſtræ ſuggeſſit, Robertum Presbyterum magnæ Religionis virum, inter cætera Religionis ſtudia, quibus indeſinenter inſiſtit, non parvam ſanctimonialium concionem ad divinum ſervitium congregaſſe, in loco qui dicitur Fons-Ebraudi. Et in aliâ bulla anno 1113 datâ Font-Ebraldenſes Moniales aggregat in eorum numerum, qui ampliori Religionis gratiâ eminent. *Cum univerſis ſanctæ Eccleſiæ filiis Apoſtolicæ ſedis autoritate ac benevolentiâ debitores exiſtamus, illis tamen locis atque perſonis, quæ ſpecialiùs ac familiariùs Romanæ adhærent Eccleſiæ, quæque ampliori Religionis gratiâ eminent, propenſiori nos convenit ſtudio imminere. Igitur de veſtræ Religionis ſtudiis ardentioribus provocati, & viri venerabilis Roberti precibus inclinati, Cœnobium veſtrum ſub Apoſtolicæ ſedis protectione ſpecialiter confovendum ſuſcepimus.*

3° Gelaſius ſecundus diplomate dato apud Magdalon. 12. cal. Decemb. loquens de Monaſterio Font-Ebraldenſi, ait, *ubi per omnipotentis Dei gratiam, ex longo jam tempore maximæ Religionis obſervantia cuſtodita eſt.*

4° Calixtus ſecundus diplomate dato Turoni anno 1119 regularem diſciplinam Fonte-Ebraldi florentiſſimam ſe vidiſſe teſtatur. *Cum per Pictavienſem parochiam pro Eccleſiæ ſervitio tranſitum haberemus, venerabilis fratris noſtri Guillelmi Pictavienſis Epiſcopi ſuggeſtione, ad B. Mariæ de Fonte-Ebraudi Monaſterium declinavimus: ubi Monaſtici Ordinis diſciplinam vigere per omnipotentis Dei miſericordiam cognoſcentes, locum ipſum, cum omnibus ad eum pertinentibus beati Petri decrevimus patrocinio confovere.* Paulo poſt vocat Robertum

bonæ & venerabilis memoriæ Presbyterum. Et in aliâ bullâ. *Apud Beatæ Mariæ de Fonte-Ebraldi Monaſterium Monaſticæ Religionis diſciplina, ſicut ipſi præſentes perſpeximus, per omnipotentis Dei gratiam perſeverat: unde viri Religioſi, & Dominum timentes, qui circa ſunt, locum ipſum diligunt.* Et Chartularii Font-Ebraldenſis chartâ 546 *hanc acquiſitionem fecit Petrus de Auperiis juſſu & conſilio Domini Callixti Papæ, qui ei causâ pœnitentiæ, ut hoc faceret, injunxit: & cũ multâ admonitione & multa deprecatione exhortatus eſt, manũ ſuam ſuper caput ipſius imponendo, ut omnibus modis ſervitoribus Eccleſiæ Fontis-Ebraldi ſubvenire curaret.*

5° Honorius ſecundus Font-Ebraldenſem ordinem in partem beneplacentium Deo Religionum transfert, diplomate dato Laterani anno 1126. *Ad hoc univerſalis Eccleſiæ cura nobis à proviſore omnium Domino commiſſa eſt, ut Religioſas perſonas, & beneplacentes Deo Religiones ſtudeamus omnibus modis propagare. Hoc nimirum charitatis intuitu dilecta in Domino filia Petronilla Abbatiſſa, rationabilibus poſtulationibus tuis inclinati, miſericorditer perhibemus aſſenſum.*

6° Innocentius ſecundus diplomate dato Altiſſiodori 16 cal. Januar. H. Turonenſi Archiepiſcopo, ejuſque ſuffraganeis Uvil. Pictav. & Uvil Xancton. Epiſcopis commendans, ut populorum charitatem erga Monaſterium Font-Ebraldenſe foveant, ipſiuſq; rationibus conſulant & proſpiciant, ait. *Cæterùm quàm ſpectata & famoſa ſit Religio Fontis-Ebraldi; quantumque ex ea Domino lucrum (ipſius gratiâ cooperante) provenerit, veſtra fraternitas non ignorat.* Et in aliâ Bullâ Petronillam & Fontis-Ebraldi Monachas alloquens. *Ex quo*, inquit, *Eccleſiæ Dei regimen, licet indigni, Domino*

'iſponente ſuſcepimus, perſonas veſtras, & locum Fontis-Ebraldi verâ in Domino charitate dileximus, & diligimus.

7° Lucius ſecundus diplomate dato Laterani 6. idus Maii anno 1144 eaſdem compellans, ait. *Sanè pro amplioris Religionis prærogativâ, quæ de loco vestro per Dei gratiam longiùs divulgatur, hominibus liberis, qui pro animarum ſuarum ſalute in Dei & Eccleſiæ ſervitio, vel apud Monaſterium veſtrum, vel in locis ad ipſum pertinentibus perſiſtere devoverint, ex Apoſtolicæ ſedis autoritate præcipimus in hoc bono perſeverare propoſito; & juxta diſpoſitionem Abbatiſſæ ipſius loci, ad honorem Dei ſororibus fideliter deſervire: ſicut à diſcretione bonæ memoriæ Roberti de Arbriſſello, ſpectatæ Religionis Presbyteri inſtitutum eſt.* Et in alia bullâ ſingularem erga eaſdem teſtatur benevolentiam. *Locum veſtrum Fontis-Ebraldi pro Religione & honeſtate ſua, jamdiù ſpecialiter dileximus, & diligimus*, & infrà preces earum efflagitat. *Prætereà quoniam de vobis valdè confidimus, charitatem veſtram per omnipotentem Dominum deprecamur, ut ipſæ ſpeciales pro nobis ad Dominum orationes faciatis, & per omnes Congregationes veſtri ordinis fieri ſtudeatis.* Et in tertiâ Bullâ earumdem eximiam virtutem magnis extollit laudibus. *Quantò ſalubriùs Regulari obſervantiæ inſudatis, abnegantes impietatem, & ſæcularia deſideria, & de converſatione veſtra obmuteſcere imprudentium hominum ignorantiā facitis, laudabiliora exempla ad alios tranſmittentes: tantò faciliùs precibus veſtris annuimus, & deſideria, quæ conveniunt rationi, efficaciùs debemus & volumus exaudire.*

8° Eugenius tertius in reſcripto dato ad Ebroicenſem Epiſcopum, innuit notum eſſe atque pervaga-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

tum, qualiter Font-Ebraldenſes Moniales *in ſpiritu humilitatis & contritionis Deo deſerviant* * *Eugenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerab. Fr. R.* (Rotroco, ſeu, Rotrado,) *Ebroic. Epiſcopo ſalut. & Apoſtol. benedict. Religioſæ ſorores Fontis-Ebraldi, qualiter poſtpoſitis temporalibus in ſpiritu humilitatis & contritionis Domino ſerviant, fraternitati tuæ incognitum eſſe non credimus. Vnde dignum eſt, ut univerſi Dei fideles, præcipuè Eccleſiarum Prælati earum imbecillitati, & paupertati ſubveniant, & optata eis ſolatia miſericorditer tribuant. Ideoque per Apoſtolica ſcripta fraternitati tuæ rogando mandamus, quatenùs Eccleſiam quam Abbas de Conchis eis dedit, pro amore Dei, & B. Petri, & noſtrâ Reverentiâ eis concedas. Datum Viterb.* 8. *idus Maii.* Et in aliâ Bullâ eaſdem Moniales de morte Petronillæ conſolans, ait. *Præterea univerſitatem veſtram per præſentia ſcripta monemus, & exhortamur in Domino, ut in bono propoſito perſeverare attentiùs ſtudeatis, & ita divino, cui mancipatæ eſtis, obſequio adhærere; ut odor veſtræ converſationis multis exempla proponens, longè latéque ſicut hactenùs effundatur, & bona quæ de veſtro Collegio uſque modo prædicantur, virtuti & probitati ùnius & plurium adſcribantur.*

REFLEXIO.

SI ſiniſtra de Beato Roberto & Monialibus ejus tam longè diſcurriſſet fama, cur ſummi Pontifices eam non inaudiiſſent? Cur probitatem, ſanctimoniam & virtutem Font-Ebraldenſium ſolummodo comperiiſſent? Cur de eorum commentitiis criminibus ne tenuiſſimam quidem auditionem accepiſſent?

Digitized by Google

itiùs ſiquidem latiuſque rumor de ſceleſtis, quam præclaris facinoribus percrebreſcit. *Neque enim,* quit, ſanctus Gregorius Nazianzenus Orat. 1. *quidiam mortalibus tam ſuave, ac jucundum eſt, iam de rebus alienis garrire.* Probrum quod alii intulit, *aut ingenium æmulationis, aut arbiium ſuſpicionis, aut ingenita quibuſdam mentendi voluptas, neceſſe eſt deinde in traduces lingarum & aurium ſerpat*, inquit, Tertullianus in pologetico cap. 7. & tamen præclara tantùm & regia de Roberto & primis ejus alumnis accepent, ſenſerunt, prædicarunt Romani præſules. Cur rò de fictis eorum ſceleribus nihil prorſus, de commentitiis autem Sempringhamenſis ordinis exceſſibus itim audiiſſent?

Ordo iſte inſtitutus fuit à ſancto Gilberto de quo uillelmus Neubrigenſis lib. 1. cap. 16 ſic loquitur. *ec ſilentio prætereundus eſt venerabilis Gilbertus, r planè mirabilis, & in cuſtodiâ fœminarum igularis, à quo etiam ordo Sempringhamenſis ſumit exordium, & cum celeri provectu celerem ſtam. Hic ab annis, ut dicitur, adoleſcentiæ, propriâ quaquam ſalute contentus, ſed lucrandarum in riſto animarum zelo ignitus, infirmiorem ſexum openſiùs cœpit æmulari Dei æmulatione, pio ſu ſumpto ex propriæ caſtitatis conſcientiâ, & atiæ ſupernæ fiduciâ.* Non defuerunt tamen obtreatores (inquiunt eruditiſſimi collectores PP. Bollans & Henſchenius S. I. pag. 568. tom. 3 num. 6.) qui mirabilem hujus inſtituti ſanctitatem, & ſingulan utriuſque ſexûs caſtitatem, quam laudare eos atie amare decuiſſet, fœdis mendaciis contaminarent; eo ut Alexander tertius Pontifex Romanus. qui iverſæ Eccleſiæ præfuit ab anno 1159 ad 1181 deindarit rei cognitionem Epiſcopis, Uvintonienſi

Henrico Regis Stephani fratri, & Noruvicenſi Guillelmo Torbo, origine Normanno, qui (impedito propter affectam valetudinem Uvintonienſi) cauſâ accuratè diſcuſsâ, innocentiam Gilberti ſcriptâ Epiſtolâ Pontifici indicavit. Eam alibi referemus.

Cur interim ſiniſter rumor de beato Roberto & & ejus alumnis, (ſi aliquis diſcurriſſet uti de ſancto Gilberto & ejus diſcipulis) aulam Romanam non afflaſſet? Nonne uterque Ordo, Font-Ebraldenſis & Sempringhamenſis ex utroque ſexu conſtabat? Nonne innumeram ſanctimonialium multitudinem capiebat? Nonne in conſtitutionibus, Regulis, & pluribus aliis congruebat? Sed & præcipuè in ſanctitate Fundatoris, ut oportunè notatur in diſceptatione hiſtoricâ Benedictinorum in Anglia his verbis. *Sanctimonialium Fontis-Ebraldi Inſtitutum ſimile fuit Ordini de Sempringhant, ſeu Gilbertinorum. (Hic Gilbertus congregaverat viros & mulieres, ſub Regula ſancti Benedicti mulieres, divi Auguſtini viros viventes).. Inſtitutor Ordinis fuit Robertus de Arbriſſello, vir ſanctus & concionator Apoſtolicus.*

ARCHIEPISCOPI.

PRIMO. Ex Auſcienſibus Archiepiſcopis & Dominis. *Aux en Armagnac.* 1. Bernardus ſecundus ex *Bajonenſi* Epiſcopatu tranſlatus ad Auſcienſem Archiepiſcopatum, interfuit Engoliſmenſi Concilio anno 1118. Interiit anno 1122.

2° Guillelmus *d'Andozile*, ſecundus, Bernardo ſuffectus, vixit in Pontificatu uſque ad annum Domini 1168.

Secundo. Ex Archiepiſcopis Patriarchis Bituricen-

Digitized by Google

is, Aquitaniæ primatibus. *Bourges en Berry.*
Albertus ſive Audebertus, Dolenſis Abbas, ad pri-
tum Bituricenſem evehitur anno 1092. Fato ereptus
io 1097.
o. Leodegarius Audeberti ſucceſſor anno 1097, ad
liorem vitam tranſiit anno 1120.
Tertiò. Ex Burdegalenſibus Archiepiſcopis, primati-
Aquitaniæ *Bourdeaux en Guienne.* 1° Amatus
ntificis Maximi Legatus in Aquitania, ab Eccleſiâ
oronenſi ad Burdegalenſem metropolim anno 1088
omovetur. Mortuus eſt anno 1101.
o Gofridus de Oratorio, tertius, Arnaldo ſucceſſit
t annum 1126. Fatis ceſſit anno 1158.
Quartò. Ex Conſtantinopolitanis Patriarchis; ſan-
s Firmatus Eremita, qui cum è locis ſanctis rever-
etur, Conſtantinopolitanus Electus eſt Patriarcha;
ab iſto ſolio clam ſe ſubſtraxit.
Quinto. Ex Dolenſibus Epiſcopis & Comitibus,
l en haute Bretagne. Baldricus fit Abbas Burgu-
lſis anno 1089. Dolenſem Cathedram adipiſcitur
no 1114. Animam Deo reddidit anno 1131.
Sexto. Ex Lugdun. Archiepiſcopis, & Comitibus,
lliarum primatibus, *Lyon ſur le Rhoſne, & ſur Saone.* Hugo Legatus Galliarum ex Dienſi Epiſ-
patu ad Lugdunenſem Archiepiſcopatum evectus
anno 1092. Obiit anno 1106.
Septimo. Ex Pariſienſibus Epiſcopis, *Paris en Iſle de France.* 1. Gallo ſedis Apoſtolicæ Legatus,
riſienſis acclamatur Epiſcopus anno 1105. Mortali-
em explevit circiter annum 1116.
2° Girbertus Major Pariſienſis Archidiaconus, an.
1117 Pariſienſem Epiſcopatum adipiſcitur. Vitam
m morte anno 1123 commutavit.
3° Stephanus *de Senlis*, primus, Guidonis Silvane-
nſis, vocitati de Turre, Domini *de Chantilly &*

Digitized by Google

d'Ermenonville, ac Bertæ Uxoris filius, Pariſienſem cathedram iniit anno 1123. Exceſſit è vivis anno 1140.

Octavò. Ex Senonenſibus Archiepiſcopis, primatibus Galliarum & Germaniæ, *Sens ſur la Vanne*, Daimbertus Senonenſis Vice-Dominus, Antiſtes creatur circiter annum 1096. Anno 1122 extinguitur.

Nonò. Ex Toloſanis Epiſcopis, *Toloſe en Languedoc.* Amelius ad Toloſanum Epiſcopatum jam anno 1100 promotus erat. Poſt annum 1130 ad meliorem vitam tranſiit.

Decimò. Ex Turonenſibus Archiepiſcopis, *Tours ſur la Loire.* 1. Radulphus frater Joannis Epiſcopi Aurelianenſis Turonenſem ſedem conſcendit ad annum 1081. Fato abſumptus eſt circiter annum 1118.

2° Giſlebertus Radulphi nepos, Pontificali throno nobilitatur anno 1118. Communi luce privatur an. 1125.

3° B. Hildebertus *de Lavardin* ad Turonenſem Epiſcopatum evehitur anno 1125. Ad Dominum migravit anno 1136.

4° Hugo de Stampis ſecundus, ſive Carnotenſis cognominatus, Pontificium Honorem aſſequitur anno 1136. Vitam ponit anno 1149.

Selecta prædictorum Archiepiſcoporum de Beati Roberti & primorum ejus alumnorum ſanctitate atque exiſtimatione teſtimonia.

1° AMATUS Burdegalenſis Archiepiſcopus, &c. Ex tabulario Abbatiæ beatę Mariæ de Rota. *Robertus Arbriſſellenſis anno* 1096 *multis donis afficitur à Reginaldo ſive Rainaldo, Domino Credonienſi, & Goffridi Vindocinenſis Abbatis conſanguineo. Subſcripſerant Amatus Burdegalenſis*

Archiepiſcopus, Hugo Lugdunenſis Archiepiſcopus, Goffridus Andegavenſis Epiſcopus, Ivo Carnotenſis Epiſcopus, Hoëlus Cœnomanenſis Epiſcopus, & Gualterius Præſul Albanenſis. Poſtero die eadem dona rogatu Roberti Andegavi confirmavit Vrbanus ſecundus, videntibus atque laudantibus tribus Cardinalibus, Aldeberto Primate Bituricenſi, & Guidone Viennenſi Archipræſule, qui ſummum Pontificatum anno 1119 adeptus, nomine Callixti ſecundi affectus eſt.

2° Amelius Toloſanus Epiſcopus. Ex tabulario prioratûs Eſpezez, *l'Eſpinace.* * *Ego Amelius Toloſanæ urbis humilis Epiſcopus, Dominum Robertum de Arbriſſello ſæpè rogavimus, ut loca ad Religionis obſervantiam in noſtro Epiſcopatu ædificare dignaretur. Ipſe igitur noſtris impulſus precibus, &c. Facta eſt firmatio iſta in capitulo ſancti Stephani anno* 1114. & chartâ 402 Font-Ebraldenſis chartularii. *Hoc autem donum Aimericus Prior Eccleſiæ Beatæ Mariæ de Bragerac in Eccleſia noſtra feci in manu Petronillæ venerabilis Fontis-Ebraldi Abbatiſſæ, aſſenſu & conceſſione D. Amelii venerabilis Toloſanæ Eccleſiæ Epiſcopi, in cujus Diœceſi Eccleſia ſanctæ Mariæ de Brajerac ſita eſt. Prætereà ego Aimericus prior, & alii fratres noſtri, nosmetipſos conſilio ſancti Spiritus, & prædicti noſtri Epiſcopi ſub obedientiâ præfatæ Abbatiſſæ, & aliarum ſibi ſuccedentium in ſancta Religione, Deo & ſanctimonialibus Eccleſiæ Fontis-Ebraudi ex arbitrio Abbatiſſæ perpetuò ſervituros promiſimus, &c. Interfuerunt etiam Vvillelmus Lecturienſis Epiſcopus, & Beatrix Vicecomitiſſa de Lomagnia, &c. Actum eſt hoc anno* 1122.

3° Baldricus Dolenſis Archiepiſcopus, tempore

æqualis Roberti, & habitatione vicinus, adeoque teſtis quodammodo oculatus, ſpe auxilii divini per preces Font-Ebraldenſium Monialium impetrandi, ad vitam beati Roberti enarrandam anno 1118 aggreditur. *Attentabo igitur*, inquit num. 3 *Sorores ſanctiſſimæ, veſtris orationibus, quibus me ſpecialiter commendo, coadjutus, de Magiſtro noſtro, pro quo continuò ſuſpiratis, modicum quid dicere.* Prologo autem vitæ ſancti Inſtitutoris num. primo vocat eum. *Doctorem illuſtrem & eximium, verbis & operibus admirandum, virum extollendum & imitandum.*

Capite primo vitæ num. 4. *Venerabilem Robertum de Arbriſſello mundo dedit Deus ſpeculum, ſuffocatorem vitiorum, propagatorem & educatorem virtutum, omnium deſolatarum & erronearum perſonarum ſolamen & præambulum.* Num. 7. *ipſe denique Robertus ab ipſa pueritiâ, maturis moribus inoleſcere cœpit: nec enim, ut aſſolet, juvenis, ætatis illius ſequebatur laſciviam: ſed nitidam, pro ut poterat, amplexabatur caſtimoniam, & intrinſecùs diligebat munditiem.*

Cap. 4. num. 21. *Erat autem acceptus Regibus & Principibus, Epiſcopis & Clericis, conſulibus, & quibuſlibet popularibus,* Num. 23. *Exprimat quis quid ſenſerit, ego audenter dico, Robertum in miraculis copioſum, ſuper Dæmones imperioſum, ſuper terrenos Principes glorioſum.* Num. 25. *Tempora ſucceſſêre temporibus, nec unquam à pacto, quod cum Deo pepigerat refrixit Robertus, ſemper in amore Dei fervidior, ſemper recens, ſemper devotior.*

4° Daimbertus Senonenſis Archiepiſcopus, &c. ex chartulario Abbatiæ ſancti Maximini. *Rodulphus de Baugentiaco Eccleſiam ſanctæ Mariæ anno* 1104 *reſtituit. In præſentiâ Ricardi Cardinalis Romanæ*

cclesiæ, & Daimberti Senon. Archiepiſc. Ioannis turelianenſis Epiſcopi, Ivonis Carnotenſis Epiſ-pi, Gallonis Pariſienſis Epiſcopi, & Guillelmi Nivernenſis Comitis, & Roberti de Arbriſſello, &c. ides Robertum inter Cardinales, Archiepiſcopos, piſcopos, & Comites conſidentem: ex quo colli-ere licet, ipſum Concilio Balgentiacenſi, hoc eo-em anno 1104, juxta Ivonem celebrato, interfuiſſe.

5° Guillelmus Auſcienſis Archiepiſcopus. Ex ve-ri membrana tabularii Auſcienſis. *Succeſſit Ber-ardo Archiepiſcopo Guillelmus, homo ſummâ tam orum, quam parentum nobilitate præpollens, Re-gionis amator, qui intra fines Gaſconiæ Mona-eria ſanctimonialium nonnulla de Ordine Fontis-Ebraldi fundavit & plantavit.*

6° Beatus Hildebertus Turonenſis Archiepiſcopus Moniales Fontis-Ebraldi nuncupat. *Virgines Chriſti,* piſtolâ 69 ad Honorium ſecundum. *Hanc ad vos, eatiſſime Pater, interventionem pro Virginibus Chriſti ſuſcepimus; quarum ſicut exterior eſt apud omines converſatio, ſic apud Deum, prout cre-dimus, mentis puritas innoteſcit.* Et paulò poſt. *In nu tamen noſtro ſpes bona repoſita eſt, pro eis à atre filium exauditum iri, quæ ad promerendam ervorum Dei gratiam ipſæ ſibi ſolæ ſufficiunt.*

7° Leodegarius Bituricenſis Archiepiſcopus ex hartulario prioratûs de Urſano. *Leodegarius Bitur. Archiepiſc., &c. Nos ad ædificationem ſanctæ Dei Eccleſiæ, & Religioſorum virorum, prout poſſu-nus laborantes, Dominumque Robertum de Her-bruſſel in Epiſcopatu noſtro collocare deſiderantes in loco, qui vulgo Vrſa dicitur, &c.* Ex fratre An-dreâ Religioſo Font-Ebraldenſi cap. 6. vitæ beati Ro-berti num. 29. *Eadem verò tempeſtate Leodegarius, vir vitâ floridus & ætate, Bituricenſis Diœceſis*

Archiepiſcopatum tenebat, quem niſi fallor, inſeparabilis dilectio Magiſtro noſtro conglutinabat. Tanto namque, ut reor, amore invicem conjungebantur, ut quod unus vellet, alius vix denegaret. Ex oratione funebri quâ Robertum honeſtavit Leodegarius. *Auſim dicere, reverendo huic Patri non defuiſſe Ioſephi patientiam, conſtantiam Ieremiæ, zelum Phineæ, & Tobiæ charitatem. Particeps fuit conſilii & ſolertiæ Danielis, & Samuelis obtinuit æquitatem.* Et infra. *Pes fuit claudorum, cæcorum oculus, ſolatium afflictorum, orphanorum pater, Virginum cuſtos, refugium miſerorum, vitiorum omnium depulſor, autor virtutum, concordia diſſidentium, &c.*

Chartâ 180. *Milonis de Tulliaco filii, & vxor ejus videntes, quia maximè apud Fontem-Ebraldum Dominus colebatur, & non minima religio convaleſcebat, medietatem quam maritus ſuus habendam reliquerat, Eccleſiæ ſupradictæ viris ac*

Digitized by Google

mulieribus, donaverunt. Teſtes Robertus de Matefelon. Vuillelmus de Reſt. Goſcelenus Bituricenſis Archidiaconus, &c.

Chartâ 199. *Ego Rollandus Savari, & uxor mea Briccia donamus Petronillæ Fontis-Ebraudi Abbatiſſæ, & ſancto Conventui tam mulierum quam virorum ibidem Deo ſervientium terram de Aſneriis, &c. Teſtes Petrus Gerorii de Loſduno. Aimericus de Doè. Gaufridus de Meduana, &c. Et de fratribus Gaufridus de Lineriis. Benedictus de Burgulio, &c.*

Chartâ 205. *Ego Petrus de Gaſnachia ſecutus conſilium Domini mei Petri Pictavorum Epiſcopi, locum qui dicitur Landa de Bello-quercu dono Deo, & beatæ Mariæ, ſanctimonialibus Fontis-Ebraudi, in manu Domini Roberti de Arbriſſello, cujus prædicatione ſimul & exemplo bonæ vitæ Eccleſia illa fundata, ſub ſanctæ converſationis habitu ſoli Deo militat.*

Chartâ 299. *Poſteris noſtris ſcripto mandamus, quod Bernardus Carbonelli de Porto dedit Deo, & Eccleſiæ Fontis-Ebraudi in manu Petronillæ Abbatiſſæ duos arpennos vineæ cum torculari. Et hoc tali pacto, quòd in ſingulis martyrologiis omnium Conventuum ſupradictæ Eccleſiæ nomen ejus ſcriberetur, & facient pro eo, ſicut pro uno fratre in die obitus ſui.*

Chartâ 523. *Ego Petrus annomine Cellerarius, Sacerdos, & Canonicus beati Auſtrigiſili de Caſtellione, concedo beatæ Mariæ, & ſancto Conventui de Fonte-Ebraudi domum meam lapideam, quæ partim fundata eſt ſuper aggerem Caſtelli. Hoc autem à Dom. Abbatiſſa, & à ſancto Conventu humiliter exhibemus, quod præfatum donum nec præſens Abbatiſſa, nec ſubſequens à ſancta Conventione alienare præſumat; quia, &c.*

Digitized by Google

Chartâ 672. *Nos Petronilla de Mumtoranto, Paganus de Vallibus, Belotus de Clariſvallibus concedimus Domno Roberto homini Religioſiſſimo, & piiſſimæ Fontis-Ebraudi Monacharum Congregationi terram ſcilicet de Podiâ, &c. Teſtes Petrus Pictavenſis Epiſcopus. Magiſter Robertus, Longus de turri* (Frater Petri Epiſcopi) *Benedictus de Bernezaico, &c.*

Chartâ 719. *Ego Aimericus nomine Bellum in fratribus & ſanctimonialibus Fontis-Ebraldi charitatem maximè florere conſiderans, res illas omnes, quas pater meus me non concedente dederat, dono Eccleſiæ ſanctæ Mariæ Fontis-Ebraudi, Petronillæque loci ejuſdem Abbatiſſæ, & reliquæ ſanctæ Congregationi. Actum autem eſt illud ante portam Eccleſiæ quæ dicitur Athanaſis, &c.*

Chartâ 726. *Ego Guido Pictavenſis concedo Deo, & ſanctæ Mariæ Fontis-Ebraudi terram quam habeo apud Aſnerias, & omnia quæcunque poterunt ſanctæ mulieres acquirere in meo feodo. Teſtes Geraudus Berlaij. Aimericus de Doè. Andreas de Haeïa, &c. Ludovico regnante in Francia. Fulcone Iuniore Comite.*

Chartâ 736. *Sciat ætas tam præſens, quàm futura, quia Domnus Leonius de Lengiaco ignem timens gehennalem locum illum qui Calidus-furnellus vocatur cum terrâ quam ipſe metaverat, donavit Deo & Magiſtro Roberto bonæ memoriæ viro ad Eccleſiam conſtruendam, & Congregationem ibi ponendam. Donum iſtud conceſſerunt Vxor Leonii & filii ejus in preſentia Domni Roberti, diſcipulorumque ejus Fulconis de Cocceio. Petri, &c.*

Chartâ 743. *Ego Radulphus Gaufridi Mali-monachi filius dono ſanctæ Mariæ, & Petronillæ Fontis-Ebraudi Abbatiſſæ; ſanctoque conventui fra-*

Digitized by Google

trum ac mulierum Deo ibidem ſervientium omnia illa quæ pater meus Gaufridus nomine Malus-monachus dedit eis. Prætereà concedo omnia illa quæ habet Eccleſia Fontis-Ebraudi in feodo meo, vel in caſamento meo, vel quæ habere poterit, &c.

Chartâ 746. *Scripto mandare decrevimus, quomodo Hugo Rigaldi, & Stabilis Planelli molendinos de Batfolet ſanctæ Mariæ Fontis-Ebraldi Religioſis viris ac mulieribus pro ſuarum remedio animarum, gratiâ Spiritûs ſancti inſpirante contulerunt. Abbatiſſa itaque tunc temporis de Chamilliaco Petronilla mulier ſapientiſſima, &c.*

Chartâ 846. *Ego Petrus de Monte-Seiberti notum fieri volo me vendidiſſe ſexaginta libras denariorum Adelaïdi domiſellæ Bertradis Reginæ matris Fulconis, Andegavenſis Comitis, terram meam de Vitrearia. Quæ verò à me ita vendidiſſe omnibus cognoſcatur, ut ſanctimoniales Fontis-Ebraudi, quæ ibidem ſub magna Religionis devotione Deo famulantur, & liberè, & ſine omni calumniâ eam teneant. Præſentibus Fulcone, Comite Andegavenſe, Bertradâ Reginâ matre ejus, &c.* Hîc *calumnia*, ſicut & apud medii ſæculi ſcriptores pro lite uſurpatur, & qui litem mala fide intendebat, calumniam facere, ſive calumniari dicebatur.

Chartâ 848. *Ego Achardus de Echarboto, &c. Hujus vero rei concordia talis eſt, quod quidquid eis calumniatus ſum, perpetuò jure tenendum concedo, & calumniam meam abſolvo, & penitùs dimitto, &c. Domnus quoque Robertus de beneficio Eccleſiæ & fratrum vel ſororum orationibus cum regulâ capituli nos inveſtivit: & in Martyrologio anniverſarium patris mei, & matris ſcribi conceſſit. Præſentibus Helignando de Longo-campo. Guillelmo Partenaico, &c, anno ab Incarnat.* 1115.

Digitized by Google

Chartâ 886. *Ego Aimo Roſellus dono Deo, & D. Roberto, & ſanctimonialium Fontis-Euvraudi congregationi ibi Deo humiliter ſervienti Alodium meum de Bociaco de Foris Trincheias ſolutum ac quietum omni tempore poſſidendum. Hujus autem doni affirmationem in manu Domnæ Philippæ Pictavienſis Comitiſſæ, ad opus monacharum prædictarum minumiſi.*

Ex tabulario Urſanenſis Prioratûs. *Notum fieri volumus, quod Bituricenſis patriæ Barones, Radulphus videlicet* Dolenſis, *Gaufridus Exoldunenſis, Ioannes Linerienſis, Elias Vriacenſis, Vmbaldus de ſancta Severâ dederunt Deo, &c. His itaque peractis Leodegarius Bituricenſis Archiepiſcopus, & domnus Robertus, & alij reliqui fratres qui ibidem aderant, prætaxatis Baronibus, eorumque ſucceſſoribus, illius ſancti loci fraternitatem, & omnium beneficiorum ſuorum participationem, ex parte Dei omnipotentis, & ſanctæ Mariæ ſemper Virginis conceſſerunt, &c. acta anno Domini* 1115.

2° Selecta alumnorum B. Roberti teſtimonia.

PRIMORUM alumnorum B. Roberti numerus, fidem omnem videtur exuperare. Hujus tamē mentionem facit 1° Baldricus paſſim, ſed imprimis cap. 2. n. 15. *Adhærebat ei tanta conventuum multitudo, ut penè Canonicorum numerus reputaretur pro nimio. Mox enim numerus numerum excederet, ſi ſaltem partem decimam ſupplicantium canonicis aggregaret.* Et cap. 4. num. 24. *Robertus iſte, iſte, inquam Robertus,*

Digitized by Google

omnimodè pro Chriſto pauperatus, in Fontevraldenſi ſolitudine, ſine cujuſlibet redditûs pecuniâ multas pauperibus manſiones ædificavit propter Chriſtum. Ibi oratoria conſtruenda curavit, fundamentum primum, primumque lapidem poſuit: ſervos & ancillas Dei pluſquam ad duo, vel circiter ad tria millia congregavit.

2° Sugerius ſancti Dionyſii Abbas Epiſtolâ ad Eugenium tertium, in quâ commendans ei Font-Ebraldenſes ſanctimoniales, ait. *Placeat igitur excellentiæ veſtræ, ab ijs moleſtiis* (ab Epiſcopo Pictavienſi exhibitis) *eas eripere: ſub protectione Dei cæli, & veſtrâ Apoſtolicâ autoritate confovere, & protegere, utpotè tantum tantæ Religionis locum: quem, cum in partibus illis in ſcholis eſſemus, noviter incæptum eſſè vidimus; & pro Dei voluntate, ferè ad quatuor aut quinque millia jam excreviſſe audivimus, & gaudemus.*

Ex Font-Ebraldenſi chartulario, chartâ 86. *Ego Ivanus cognomine Arveus, & Uxor mea de Marthona Aremburgis ſæculum relinquentes, & apud Fontem-Ebraldi Religionis habitum accipientes donamus, &c. Hujus rei teſtes ſunt Archembaudus Capellanus ſancti Petri de Salmuro. Paganus Capellanus ſanctæ Mariæ de Salmuro, &c. Actum Rainaldo Andegavenſium Pontifice. Ludovico Francorum Rege. Fulcone Andegavis Comite.*

Chartâ 214. *Petrus Oblinci deſerens mundum, volens adhærere vitæ contemplativæ monitis famuli Dei Roberti, Eccleſiæ Fontis-Ebraudi ſe tradidit, ſequentemque partem hæreditatis in dono dedit prædictæ Eccleſiæ, &c, Regnante Ludovico Rege in Francia: atque Leodegario regente Bituricenſem Eccleſiam.*

Chartâ 436. *Ego Audeburgis inſpirante omnium*

bonorum opifice, pro ſalute animæ meæ dono Deo, & beatæ Mariæ, & ſanctimonialibus Eccleſiæ Fontis-Ebraudi, & me, & totum illud quod habeo apud Aſnerias, volentibus atque concedentibus filiis meis, quibus Petronilla Abbatiſſa pro hac conceſſione donavit decem libras Andegavenſis monetæ.

Chartâ 440. *Quiſquis ſe & ſua Domino dederit, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit. Hujus rei gratia ego Bertrandus Peloquini dono Deo, & beatæ Mariæ, & Eccleſiæ Fontis-Ebraudi, & me, & terram quam habeo ad plateam, &c. Acta charta, Ludovico Philippi Francorum Rege. Fulcone Iuniore Andegavenſium Comite. Vvillelmo Adelelmi Pictavorum Pontifice.*

Chartâ 475. *Notum ſit omnibus quòd Archembaudus Albeſpinus, & vxor ejus ſæculo renunciantes, Deo, & beatæ Mariæ, & Eccleſiæ Fontis-Ebraldi ſe, & ſua cum omni integritate dederunt. Petronilla vero Abbatiſſa, &c.*

Chartâ 493. *Veritatis ſignificamus amatoribus, quòd Gerardus Salatum ſeſe cum filia ſua Laurentiâ dedit Religioni Eccleſiæ Fontis-Ebraldi, largiens in eleemoſynam terram de Boſrotart, &c. datum in manu Petronillæ primæ venerabilis Abbatiſſæ anno* 1144.

Chartâ 877. *Ego Sophicia Rainfredis, filia Petri Achardi, habitum Religionis monacharum accipere cupiens*, *Domno Roberto, & monialibus Fontis-Ebraudi ibi ſub regulari diſciplina congregatis me primam, & alodium meum de Pôlineio dono, &c. Concedente Aimerico Vice-comite de Caſtro-erraudi, in cujus feodo erat, &c.*

Chartâ 896. *Ego Fulco Rufus vitam meam ardenti deſiderio multum deſiderans emendare, dono Domno Roberto de Arbriſſello, & novæ monacha-*

Digitized by Google

vum Congregationis Conventui corpus & animam meam ſub habitu Religionis Deo viventi ſerviendum, omnemque poſſeſſionem meam, quæ in loco, qui vulgariter Gaina appellatur, mihi habere videtur, tenendam, & perpetuò ſolutè poſſidendam. Sub teſtibus iſtis. Pipino de Montibus, Raginaudo Burſa fratre ejus, &c.

Chartâ 692. *Ego Gaufridus Fulchredus dono omnipotenti Deo, & Domno Roberto de Arbriſſello, & ſanctimonialibus Eccleſiæ Fontis-Evraudi ibidem Deo militantibus conſuetudines meas curiæ de Reſt, &c. Hoc autem donũ factum eſt in capitulo piæ & juſtæ congregationis ſanctimonialium coram Deo, & ſancta Maria genitrice ejus, in præſentiâ Domni Roberti illarum patris piiſſimi, &c.* Et chartâ 454. *Ego Gaufridus Fulcre ſaluti animæ meæ in futurum providens, ad augmentum eleemoſynarum mearum de decimâ, quam habebam in hortis de Reſt, fratrum atque ſororum circumſedente multitudine, Deo, & beatæ Mariæ Fontis-Ebraldi, cum omni alacritate animi, donationem in capitulo feci, in præſentiâ dilectæ dominæ Petronillæ ejuſdem loci primæ Venerabilis Abbatiſſæ, &c.* Et chartâ 132. *Notum ſit tam præſentibus quam futuris, quod Gaufridus Fulcre dedit Deo & Eccleſiæ Fontis-Ebraudi portum de Reſt, & feodum Pontunnariorum. Et hoc fecit in manu Magiſtri Roberti bonæ memoriæ viri: & inveſtivit eum cum cereo, cum eſſet indutus Sacerdotali veſte, antequam ſepulturæ traderetur, &c.* Et chartâ 118. *Præſcriptis & actionum Fontis-Ebraldi memoriis, continuare dignum & utile fore credimus, quod Fulcredus Pontonarius, pariter Leburgis ejus uxor, cum duobus filiis ſuis Vvillelmulo ſcilicet & Petrulo in conſortio Fontis-Ebraldi Religionis habitum Spi-*

Digitized by Google

ritu ſancto intimante, eodem anno, quo prædicta geſta ſunt, humiliter ſuſcipientes, quidquid in portu de Reſt hæreditario jure poſſederant, in perpetuam eleemoſynam dederunt, &c.

3° Selecta parentum Font-Ebraldenſium Monialium teſtimonia.

EX præfato chartulario, chartâ 31. *Scripſimus, quod Goſbertus de Rochis cum ſorore ſua Sophiſia in clauſtro ſanctimonialium Fontis-Ebraldi recepta dedit jugum prati unum in Valeia, &c. Et hoc factum eſt in præſentiâ Venerabilium virorum Goffridi Carnotenſis Epiſcopi, Apoſtolicæ ſedis legati, Goffridi Burdegalenſis Archiepiſcopi. L. Nannetenſis Epiſcopi, & Petronillâ dilecta Domina, prima Abbatiſſa, &c.*

Et Chartâ 105. *Notificamus, quod Philippus de Blazonio quatuor de filiabus ſuis Eccleſiæ Fontis-Ebraldi præbuit: & ut ibidem habitum ſanctimonia ſuſciperent, obtinere cum Magiſtro Roberto, atque cum Petronilla Abbatiſſa precando meruit. Poſteà verò prædictus Philippus pro anima ſua ſuorumque ſalute donauit Deo & beatæ Mariæ, & ſanctimonialibus Fontis-Ebraldi illas ſuas terras, &c.*

Chartâ 229. *Notum ſit omnibus, quòd Leodegarius Camerarius Vicecomitis Toarcii mittens Vxorem ſuam & filiam in Congregatione Fontis-Ebraudi, donauit Deo, & beatæ Mariæ, & ſanctimonialibus Fontis-Ebraudi unam domum, &c. Hoc donum conceſſit Aimericus Vicecomes Toarcii, &c. Acta charta Ludovico regnante Vvillelmo Pictavis Eccleſiam gubernante.*

Digitized by Google

Chartâ 354. *Ego Amauricus de Monteforti Ebroicarum comes, inſpirante Deo, filiam meam in Congregatione Fontis-Ebraudi mittens, dono Deo, & beatæ Mariæ, & ſanctimonialibus Fontis-Ebraudi apud Altam-brueriam Domino Deo ſervientibus molendinum de Bena, &c. Hoc donum factum eſt, in capitulo ſanctimonialum Altæ bruberiæ in manu Domini Gaufridi Carnotenſis Epiſcopi, & Petronillæ primæ Fontis Ebraudi Abbatiſſæ. Videntibus Euſtachio de Bretolio. Willelmo Capellano Bertreæ Reginæ, &c. anno* 1123.

Chartâ 356. *Ego Radulphus de Toënaio univerſis ſanctæ Eccleſiæ filiis notum facio, quòd Elizabeth mater mea, Deo inſpirante, in Eccleſiâ* Fontis-*Ebraudi ad Religionem venit. Pro cujus amore, atque pro anima mea, omniumque meorum ſalute, dono eidem Eccleſiæ, quandiù mater mea vixerit, omnes redditus de Aquineio, &c. Factum eſt, autem hoc apud Altam-brueriam in præſentiâ Domini Gaufridi Carnotenſis Epiſcopi, & Petronillæ Abbatiſſæ Fontis-Ebraudi. Hujus rei ſunt teſtes Euſtachius de Bretol, &c. anno* 1123. Idem de præfatâ Elizabeth teſtatur Ordericus Vitalis lib. 6. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ pag. 576. Ubi enim retulit, Radulphum de Conchis, filium Rogerii de Toënia, famoſi Normannorum ſigriferi, inſignis militiæ probitate claruiſſe; inter præcipuos Normanniæ proceres divitiis, & honoribus floruiſſe; filiam Simonis de Monte-forti nomine Iſabel Uxorem accepiſſe; atque ex ea Rogerium & Radulphum genuiſſe, ſubdit. *Iſabel verò poſtquam in viduitate diù permanſit, lethalis laſcivia, cui nimis in juventute ſervierat, pœnitens ſæculum reliquit, & in Monaſterio ſanctimonialium apud Altam-brueriam velum ſuſcepit, ibique vitam ſuam laudabiliter in*

Digitized by Google

timore Dei perſeverans ſalubriter correxit.

Chartâ 438. *Ego Oliverius de Maſnilo mittens duas filias meas in congregatione Fontis-Ebraldi dono Deo, & beatæ Mariæ, & ſanctimonialibus ejuſdem loci terram & prata, &c. Hoc donum conceſſit poſteà Rollandus frater meus: & propter hoc miſit unam de filiabus ſuis in Congregatione Fontis-Ebraldi. Acta charta Ludovico Francorum Rege. Fulcone Andegavorum Comite.*

Chartâ 478. *Ego Fulcoius Feſſardi devovi Deo unam filiam meam, & glorioſæ genitrici ejus Mariæ, & Domno Roberto ſub monacharum regulari diſciplina Deo Domino devotiſſimè ſerviendam. Cum hac ſiquidem filia mea donavi ſanctimonialibus Fontis-Ebraldi terram in Borno, &c.*

Chartâ 744. *Ego Petrus Barba-torta, & Fromundus frater meus donamus Deo, & beatæ Mariæ, & Eccleſiæ Fontis-Ebraudi totam terram, & omnia prata, quæ habebamus ad Morton, pro matre noſtra Mileſindi, & ſorore noſtrâ Clementiâ, quæ Monachalem habitum ſuſceperunt in eâdem Eccleſiâ, &c. Acta charta Ludovico Francorum Rege. Fulcone Andegavorum Comite, Vuillelmo Pictavorum Pontifice.*

Chartâ 872. *Ego Frogerius Barba notum facio, quod molendinum meum de prato, &c Domno Roberto, & monacharum novellæ plantationis Fontis-Ebraudi Congregationi perpetualiter habere concedo: tali tamen tenore, ut duæ filiæ meæ in Eccleſia Fontis-Ebraudi ad laudem divini nominis monachentur, &c. Sub audientia Aimerici Vice-comitis de Caſtro-Erraudi, &c.*

Chartâ 881. *Ego Aimericus de Marilleio dono Deo, & glorioſæ ſuæ genitrici Mariæ unam meam filiam ſub Monacharum Regulari diſciplinâ ſibi ſervien-*

ſerviendam. Cum hac equidem filia mea dono Domno Roberto, & Monachabus Fontis-Ebraudi quinque julla terræ, &c.

Chartâ 892. *Ego Gauterius de Clichone, & Serra conjux mea pro Dei amore, & filiæ noſtræ in Eccleſia novæ Congregationis Monacharum Fontis-Euvraudi ſuſceptione, Domno Roberto de Arbriſſello, & ipſis Monachabus Molendinum de Pociaco, donamus, &c. Teſtes David de Bernezaio, Thebaldus de Chalvigneio, Domna Petronilla, &c.*

4° Selecta Scriptorum & Chronographorum teſtimonia.

1° GUILLELMUS Neubrigenſis libro primo de rebus Anglicis cap. 15. ait. *In tranſmarinis partibus, ſicut à majoribus accepi, tres memorabiles viri uno tempore fuêre: ſcilicet Robertus cognominatus de Arbruſculo, Bernardus, & Vitalis. Hi non ignobiliter eruditi, ſpiritu ferventes, circuibant per caſtella & vicos, &c. Robertus igitur famoſiſſimum illud Monaſterium fœminarum de Fonte-Ebraldi conſtruxit, &c.* & lib. 3. cap. 25. *Famoſum & nobile Monaſterium celeberrimæ Religionis titulo inclytum.*

2° Guillelmus Malmeſburienſis lib. 5. de Regibus Anglorum ſic habet de Roberto. *Hujus Petri* (Pictavienſis Epiſcopi) *fuerunt contemporanei, & in Religione ſocii Robertus de Arbriſſel, & Bernardus Abbas Tironenſis: quorum primus omnium hujus temporis ſermocinatorum famoſiſſimus & profuſiſſimus, tantùm non ſpumeâ, ſed melleâ viguit eloquentiâ.* De ejus verò Monialibus. *Hominibus*

certatim opes congerentibus, illud egregium ſanctimonialium Monaſterium apud Fontem-Ebraldi conſtruxit, in quo totâ ſæculi voluptate caſtratâ, fœminarum Deo devotarum, quanta nuſquam, multitudo in Dei fervet obſequio, &c.

3° Goffridus Groſſus cap. 23. vitæ Beati Bernardi de Tironio loquens de Pictavienſi Concilio, ad innuptas nuptias Philippi Francorum Regis dirimendas, anno 1100 convocato, ait. *At verò Bernardus atque Robertus Arbriſſellenſis, qui Concilio interčrant fortiſſimi Iuſtitiæ propugnatores, ac totius iniquitatis & injuſtitiæ oppugnatores, aliis turpiter diffugientibus, ita immobiles conſtanteſque perſtiterunt, ut nec ab incœpto excommunicationis deſiſterent, ſed pro Chriſto mortem, vel contumeliam pati glorioſiſſimum ducerent; & quamvis eis perſecutores mortem non intulerint, iſti, quantum in ipſis fuit, Martyrium pertulerunt.*

4° Goffridus Abbas Altæ-tumbæ in vita ſancti Petri Archiepiſcopi Tarentaſii apud Surium 8. Maii. n. 40. *Alta quoque brueria*, inquit, *Monaſterium dicitur Religioſi admodum Ordinis Fontis-Ebraldi, ducentas circiter ſanctimoniales fœminas Domino devotiſſimas habens, &c. Ad petitionem verò Reginæ Francorum viſitat* (ſanctus Petrus) *ancillas Chriſti, ubi etiam novum conſecravit altare.*

5° Ex Chronico Malleacenſi. *Anno* 1100. *Robertus Magiſter cœpit dignoſci apud nos, & incœpit locum Fontis-Euvraudi ædificare, & fratres & Monachas adunare in pluribus locis, qui ſub diſciplinâ ſuâ Religioſè vivunt.*

6° Ex Chronico Ricardi Pictav. *In illo tempore illud famoſiſſimum Cœnobium fœminarum, quod dicitur Fons-Ebraldi, conſtituitur in pago Pictavenſi à Roberto de Bruxello, juvante Pictavo-*

rum Petro Epiſcopo, cujus ſanctitatem crebra miracula tumuli ejus loquuntur & prædicant.

7° Ex Chronico Abbatiæ ſancti Sergii. *Anno* 1116. *Defunctus eſt Robertus de Arbriſſellis, vir Religioſus & Deo dignus, qui Fontem-Ebraldi, & alia plura divinæ congrua famulationi loca fundavit; quique multos diverſi ſexûs ad converſionem, tam prædicationis verbo, quàm vitæ traxit exemplo.*

8° Ex Martyrologio Sanctorum Ordinis Divi Benedicti, ſanctus Bernardus Tironenſis *ſe S. Vitali de Mauritania, & Roberto de Arbriſſellis adjunxit, cum illis peragravit Normanniam maritimam verbum Dei prædicando, nihil prætermittens, ut vitia eradicaret, &c.*

9° Ex antiquo Manuſcripto Abbatiæ Grandimontis. *Robertus de Arbriſſello vir aptus ad animas lucrandas, & ad verbum Dei prædicandum, Cœnobium, quod Fons-Ebraudi dicitur, in confinio ſoli Andegaviæ, Turoniæ, & Pictaviæ anno Domini* 1106. *ædificare cœpit* (anno potius 1100. ex Malleacenſi & Turonenſi Chronicis, atq; ex Font Ebraldenſi chartulario) *& ſanctimoniales fœminas ſub arctiſſima Regulâ ibidem congregans, Petronillam Abbatiſſam præfecit., &c.*

10. Jacobus de Vitriaco S. R. E. Cardinalis cap. 20. hiſtoriæ Occidentalis, de Nigris Monachis loquens, ait. *Hæc autem diximus ſalvâ Reverentiâ quorumdam hujus Ordinis Sanctorum & venerabilium Conventuum; qui adhuc in honeſtatis, & laudabilis converſationis propoſito, & Religionis diſtrictione perſeverant. Ejuſmodi ſunt Cluniacenſes in capite, & ſanctimoniales nigræ de Font-Evraud; cum quibuſdam aliјs Deo devotis Monachorum nigrorum conventibus: quorum charitatem*

& humilitatem, labores aſſiduos, & opera penè importabilia, novit ille, qui eis patientiam & perſeverantiam ſubminiſtrat. Florebat Jacobus de Vitriaco circiter an. 1235. Quo tempore Font-Ebraldenſes ardebant adhuc primo fervore Moniales.

REFLEXIO.

INNUMERI alii Principes, Comites, Barones, & Nobiles, tum in relatis infrà, tum in referendis aliquando chartis commemorantur. Ex hac autem tantâ nube teſtium, perſpicuum eſt de beati Roberti, & primorum ejus alumnorum laudibus, omnium fuiſſe famam conſentientem, veram, & conſtantem. Omnium, inquam, fuit fama conſentiens, nempe ſummorum Pontificum, Legatorum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & Abbatum; Regum, Reginarum, Galliæ, Angliæ, & Hiſpaniæ; Principum, Principiſſarum; Comitum, Comitiſſarum; & cœterorum utriuſque ſexûs Nobilium. Fuit etiam conſtans fama; quia non ſolùm beatus Petrus Pictavienſis antiſtes, Rainaldus Andegavenſis præſul, Radulphus Turonenſis Archiepiſcopus, &c. ſed etiam ipſorum ſucceſſores; non ſolùm Guillelmus Dux Aquitanorum, Fulco Comes Andegavorum, Alanus Conſul Britannorum, ſed etiam ipſorum filii; non modò ſemel & iterùm, ſed etiam ſæpius Font-Ebraldenſium virtutes eximiis laudum prædicationibus extulerunt. Vera demùm fuit fama, quia vicini Font-Ebraldenſi Monaſterio, illudque frequentantes Præſules, Eccleſiaſtici, & Nobiles, Pictavienſes nimirum, Turonenſes & Andegavenſes, (nam Fons-Ebraldi ſitus eſt in confinibus Pictavienſis, Turonenſis, & Andegavenſis Diœceſis) de eâ teſtimonium perhibuerunt; quorum alii à Fonte-Ebraldi unâ ſolummodò leucâ di-

ſtant, alii duabus leucis, alii quatuor, alii quinque, & ſic de cæteris, ut liquet ex Geographicis trium harum provinciarum tabulis.

At reponet Lector; pro certo jam haberem, de Roberti Arbriſſellenſis, & primarum Fontis-Ebraldi Monialium laudibus omnium fuiſſe famam conſentientem, veram, & conſtantem, mihi ſi conſtaret prædictas tabulas non eſſe à Font-Ebraldenſi Profeſſore confictas, aut interpolatas. Hic mihi ſcrupulus excutiatur? Rectè reponis Lector benevole, & non immeritò ſcrupulum hunc tibi poſtulas evelli. Evellet autem 1° Dominus Michaël Coſnier, parochus, conditor Font-Ebraldenſis hiſtoriæ anno 1641. qui pag. 120 ſic loquitur. *At qui vellet noſcere ſingulos Principes, quibus acceptus & chariſſimus fuit Robertus, evolvendæ illi eſſent vetuſtæ donorum membranæ, & hinc ſeriem multam exciperet; hîc Dominos Monſterioli Bellaios, hîc Principes Montis-ſorelli, Blodi, Vice-comites Toarcenſes, de Caſtro-Erraudi, Principes Mauritaniæ, de Toeneio, de Aquilâ apud Normannos; Blazonii, Gaſnachiæ, ſexcentoſque alios ipſius, atque Congregationis Fontis-Ebraldi amantiſſimos Nobiles reperiret; cum vix ullus hoc tempore in Galliâ extiterit, qui in hunc numerum venire non poſſit.* Et pag. 144. *Summis Pontificibus, Regibus Galliæ & Angliæ plurimis, poſſim adjicere ſexcentos præſules, & alios Principes, qui in augmentum & decus, in tuitionem & propagationem hujus Ordinis certatim conſpirare viſi ſunt.*

Evellet 2°. P. Honoratus Niquet S. I. author ejuſdem hiſtoriæ anno 1642. qui in præfatione ait.* Or c'eſt de ces meſmes Titres que j'ay tiré une par-" tie des étoffes qui compoſent cét Ouvrage; & d'où" je ne citeray rien que je n'aye vû, tenu, & lû moy-" meſme, de peur de prendre le change, & d'enfrain-"

„dre la loy de l'Hiſtoire, qui eſt de ne rien avancer
„de faux.

Et capite 17. *lib.* 2. *pag.* 193. De moy je ne veux
„point d'autre écho pour reconnoiſtre, & loüer la
„ſainteté du P. Robert, que le ſentiment veritable
„du Souverain de l'Egliſe, des Prelats d'une vertu emi-
„nente; des Docteurs, & des Hiſtoriens de merite
„qui ont vécu de ſon temps, & l'ont ſuivi de bien
„prés. *Et pag.* 255. Je ne diray mot d'un grand
„nombre de Princes, & de Princeſſes, qui apres
„avoir donné pendant leur vie, leur cœur, & leurs
„affections à FontEvraud, ont voulu que leurs cendres
„y repoſaſſent, comme en un lieu, qui pour ſa ſain-
„teté, leur donnoit des arres d'une plus heureuſe
„reſurrection.

Evellet 3° P. Theophilus Raynaudus ejuſdem Societatis pag. 153. Triadis fortium David, anno 1657. in lucem editæ. *Hominum ſanè*, inquit, *nec plebeiorum, ſed magnorum qui erant in terra, ex ſacro & prophano Ordine, illuſtriſſima de Roberto judicia, produnt tituli luculenti, quibus eum illuſtrarunt, aliqui ſuperſtitem, alij proximè defunctum, cum adhuc memoria rerum ejus caleret.* Et pag. 157. *En quàm verè dixerit Baldricus, ipſa quoque ſeculi faſtigia, Reges, inquam, Roberto plurimùm detuliſſe, & gloriam honoreſque fugientem, gloriâ & honore cumulaſſe.*

Evellent 4° doctiſſimi actorum Sanctorum an. 1658 Typis mandatorum collectores, Joannes Bollandus, & Godefridus Henſchenius, prælaudatæ Societatis Theologi tom. 5. pag. 597. in qua paragraphum tertium ſic inſcripſerunt. *Beati Roberti ſanctitas illuſtrium virorum teſtimoniis celebrata.*

Evellet 5° Dom. Balt. Pavillon, Preſbyter, Font-Ebraldenſis hiſtoriæ parens anno 1666. cujus prolo-

Digitized by Google

quium hæc habet. * Les preuves que j'allegue ſont de deux ſortes, qu'on peut dire étre égallement certai-" nes. Je produits tantoſt des Tîtres, & tantoſt des" Hiſtoriens. Pour les Tîtres, ce ſont des extraits que" j'ay moy-meſme tirez ſur les Originaux, ou ſur" d'anciens Cartulaires, qu'on ne peut dire avoir eſté" faits pour favoriſer mon deſſein; puiſqu'ils paroiſ-" ſent avoir eſté tranſcrits il y a plus de quatre cens" ans. *Et pag.* 368. Mais entre tous ces ſaints Per-" ſonnages, il n'y en a point qui ſoit arrivé à une re-" putation plus éminente, & plus uniuerſelle que no-" ſtre Saint; car l'on ſçait qu'il eut l'eſtime des Pa-" pes, des Eveſques, des Abbez, & des Princes. L'on" ſçait que les peuples conçeurent une ſi haute opi-" nion de ſa vertu, qu'ils le ſuivoient par tout en" foule, comme un autre ſaint Jean Baptiſte; qu'ils" s'attachoient à luy ainſi que les coupables ſe pren-" nent aux choſes ſacrées, pour avoir leur pardon.*" Quibus teſtimoniis nihil luculentius, & ad eripiendum Lectori ſcrupulum efficacius.

Iterùm tamen poterit obloqui. Prælaudati autores, inquiet, vel non ſunt eximii celebritate nominis, vel ipſorum opera in paucorum manibus verſantur. Teſtes itaque edantur locupletiſſimi, celeberrimi, atque notiſſimi. Aſſentior; Galliam profero Chriſtianam, quæ paſſim à me relatas tum Bullas ſummorum Pontificum, tum chartas Epiſcoporum, tum tabulas Principum, Comitum, & cæterorum Nobilium, aut laudat, aut integras producit. Ab illuſtribus Sammarthanis emiſſa eſt in lucem, MANDATO CLERI GALLICANI anno 1656, quo tempore vix decimum annum natus, neque Font-Ebraldenſem Ordinem ingreſſus, & non modò calumniarum quas confutandas ſuſcepi, ſed ipſiuſmet etiam Font-Ebraldenſis Ordinis neſcius, hujuſmodi Bullas, chartas, & tabulas nequivi procu-

dere, vel conſarcinare. Legas igitur potiſſimùm, quæſo, tomi primi paginam 105. ubi ſermo eſt de Guillel. *d'Andozile*, Auſcienſi Archiepiſcopo. Paginas 164. 165. ubi de Leodegario Bituricenſi Archiepiſcopo. Paginam 212. ubi de Gaufrido Burdegalenſi Archiepiſcopo. Paginas 682. 683. ubi de Amelio Toloſano Epiſcopo. Paginam 765. ubi de Radulpho Turonenſi. Archiepiſcopo, &c.

Legas tomi ſecundi paginam 131, ubi de Rainaldo, & paginam 132, ubi de Ulgerio, Andegavenſibus Præſulibus mentio habetur. paginam 566. ubi de Baldrico Dolenſi Epiſcopo, &c.

Legas tomi tertii p. 668. ubi de Burchardo, & pag. 699 ubi de Manaſſe Meldenſibus Epiſ. mentio incidit. p. 857. ubi de Guillelmo *d Auberoche* Petrogoricenſi Antiſtite. pag. 882. 883. 885. 886. ubi de Petro ſecundo, Guillelmo primo, & Guillelmo ſecundo Pictavienſibus præſulibus, &c.

Legas tomi quarti paginam 310, ubi de Lamberto primo Abbate de Coronâ. Paginas 409. 410, 411. 412. 413. 414. 415. 416. 417. 418. &c. ubi de Abbatiâ Fontis-Ebraldi, de Beato Roberto Arbriſſellenſi ejus Fundatore, de Herſende Majori Prioriſsâ, Petronillâ primâ Abbatiſsâ, Mathilde ſecundâ Abbatiſsâ, &c. Paginas 796. 797. ubi de prælaudato Roberto Arbriſſellenſi, primo Abbate de Rotâ, mentio interponitur, &c. His ſi non es contentus, adeas velim Fontem-Ebraldi, atque tibi & chartularium, & archetypas tabulas libenter exhibebimus.

Digitized by Google

INDEX

PRÆSTANTISSIMARUM B. ROBERTI Arbriſſellenſis virtutum, ſacræ Scripturæ, Sanctorumque Patrum judicio ponderatarum.

Abſtinentia, jejunium, & maceratio B. Roberti.

PRIMUM de maceratione B. Roberti teſtimonium ſumitur ex Baldrico Dolenſi Epiſcopo, cap. 1, vitæ ſancti Fundatoris num. 10. *Deſtinans itaque carnis illecebris auſteriùs dominari, ſubtùs ad carnem indutus eſt loricam: quâ veſte duobus uſus eſt annis, antequam ad eremum proceſſerit. In biennio autem quo illa ferrugineâ veſte carnem domabat, delicatis deſuper tegebatur pannis, oculis & favori hominum ſe occultans, conſpectui verò Dei ſe duntaxat manifeſtans.* Juxta illud Chriſti Domini Math. 6. verſ. 17. *Tu autem cum jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava: ne videaris hominibus jejunans, ſed patri tuo qui eſt in abſcondito: & pater tuus qui videt in abſcondito, reddet tibi.* Bona igitur opera occultari conſulit, imò præcipit Deus. Rationem verò profert ſanctus Joannes Chriſoſtomus Homil. 38. De humilitate & quiete, ad populum Antiochenum. * Tutus enim, *inquit*, meritorum penus, oblivio meritorum. Et ſicut cum veſtes & aurum in foro quidem " exponimus, multos provocamus inſidiatores; ſi " verò domi reponamus & celemus, in tuto repo- " ſuerimus omnia: ita & profectò merita ſi jugiter " mente geſtemus, Dominum irritamus, armamus "

,, inimicum, ad furtum vocamus. Si verò nemo ipſa
,, ſciat, niſi quem ſcire ſolùm oportet, in tuto erunt.
,, cave igitur, ne quod Phariſæus paſſus eſt, & ipſe
,, patiaris, qui linguâ circumferebat merita ſua: unde
,, diabolus ea rapuit, licet eorum cum gratiarum
,, actione memoriam faceret, & Deo totum attribueret. (Nonne igitur tuta ab inimicis Roberti merita? Roberti, inquam, qui *oculis & favori hominum ſe ocultavit*; qui *conſpectui Dei ſe duntaxat manifeſtavit*; qui *biennio delicatis veſtibus loricam texit*, quá ad carnem induebatur?

Secundum teſtimonium ex eodem. cap. 2. num. 11. *Dies affuit, quo ad eremum diu concupitam, aſcito ſibi quodam presbytero, mundo renuntians convolavit. Ibi quantis inhumanitatibus in ſe totus ſævierit, quis dignè recenſeat? Nam præter ea quæ extrinſeca videbantur, uti pilis porcorum cilicium induere, lectiſternium præter humum vix noſſe, vinum omninò ciboſque lautos & ſaginatos neſcire, ſomnum permodicum naturali fragilitate compellente rarò capere; quidam intrinſecus in eo erat conflictus, quidam mentis rugitus, quidam penetralium ſingultus, quem autumare poſſes crudelem & impium, cui nullum incidere poterat terminabile remedium, quem multi ſuſurrabant imbecillitati luteæ eſſe impoſſibilem & nimium.* His ſuſurratoribus opponebat Robertus præclarum illud D. Auguſtini monitum lib. de utilitate jejunii. * Nec
,, quiſquam ſuggerentem intrinſecùs audiat tentatorem: quid facis quia jejunas, defraudas ani-
,, mam tuam, tibi ipſi ingeris pœnam! Tuus ipſe
,, tortor & crudelis exiſtis. Deo ergo placet, quia
,, te crucias? Ergo crudelis eſt qui delectatur pœ-
,, nis ſuis. Reſponde hujuſmodi tentatori; excru-
,, cio me planè ut ille parcat, do de me pœnas, ut

Digitized by Google

ille ſubveniat, ut placeam oculis ejus, ut dele- «
ctem ſuavitatem ejus, Nam & victima excoriatur, «
ut in aram imponatur. “) Victima ſanè Deo gratiſſima Robertus, aſſiduo labore, vigiliis, & inediâ ſeſe diſcrucians, atque conficiens.

Tertium teſtimonium ex eodem. cap. 3. num. 18. *Longo tempore non jumento cuilibet inſedit; nec vinum, nec cibos ſaporoſos guſtavit. Ipſe ſemper nudis pedibus incedebat, & tunicas, & ſaccum aſperiores induebat: quouſque conſilio Sacerdotum, corpore jam fatiſcente, calceatus jumentum aſcendit, & corpuſculo parumper indulſit, non ut delectaretur, ſed ut ad laborem quoquo modo confortaretur: curam enim carnis facere cavebat in deſideriis. Iejunia ſæpè continuavit, orans frequenter pernoctavit, membra ſua diuturnâ maceravit inedia, & nullâ quemque exaſperavit moleſtia.* Et cap. 3. ſupplementi ad vitam viri Dei, cujus autor creditur Andreas Monachus Font-Ebraldenſis, num. 14. dicitur *in jejuniis aſſiduus, in orationibus præcipuus, pernox in vigiliis, ſuperabundans in lacrymis.* Quæ quidem omnia Robertum, implacabilem ſui ipſius hoſtem, *intraſſe per anguſtam portam, & arctam viam quæ ducit ad vitam inveniſſe* demonſtrant.

Agens Matth. 7. v. 13. Chriſtus Dominus de ſalute noſtra, ait. *Intrate per anguſtam portam quia lata porta, & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt qui intrant per eam: quàm anguſta porta & arcta via eſt quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inveniunt eam.* Ad quod exclamat ſanctus Auguſtinus ſermone 55. de tempore. *Infœlix voluptas, quæ per tranſitoriam dulcedinem præparat ſempiternam amaritudinem. Abſtinentia verò, vigiliæ, orationes, atque jejunium per bre-*

viſſimas anguſtias perducunt ad paradiſi delicias, quia non mentitur veritas, quæ in Evangelio dicit, arctá & anguſta via eſt, quæ ducit ad vitam.

Amor Beati Roberti erga Deum.

PRIMUM de amore Beati Roberti teſtimonium petitur ex Baldrico cap. 4. num. 22. *Ejus anima in ſancta Religione duntaxat erat ſollicita. Cuj us putas, calamus Robertū ad unguem explicabit, cujus mens, cujus conſcientia, cujus animus Deo ſemper adhæſit?* Ex quo ſequitur primò Robertum manſiſſe in Deo, & Deum in Roberto. Nam *Deus charitas eſt; & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* 1. Joan. 4. v. 16. ſequitur ſecundò Robertum unum fuiſſe cum Deo ſpiritum. Juxta illud 1. Cor. 6. v. 17. *Qui autem adhæret Domino, unus ſpiritus eſt.*

Secundū teſtimoniū ex eodem cap. n. 25. *Tempora ſucceſsēre temporibus, nec unquā à pacto, quod cū Deo pepigerat, refrixit Robertus, ſemper in amore Dei fervidior, ſemper recens ſemper devotior.* Id ſi audiſſet, vidiſſet, legiſſet de Roberto Jacobonus ex ſacra S. Franciſci familiâ, nonne temperaſſet à lacrymis? Nonne fletus continuiſſet? Nonne gemitus compreſſiſſet? De viro
„ hoc eximio refertur. * Die quodam incedebat per
„ plateas mœſto vultu, caperatâ fronte; gemebat,
„ ejulabat, genas lacrymis perpluebat ſuſpirans, plo-
„ rans, lamentans. Petunt obvii quid ita ploret, cur
„ lugeat, unde ille tam copioſus fletus? Dic, in-
„ quiunt, quid ſiniſtri tibi accidit? Quid actum te-
„ cum? Succurremus, habes qui te defendant patro-
„ nos. Effare, quæ cauſa doloris? Sed fruſtra; non
„ erat qui eum conſolaretur, vel qui tantillum leniret

dolorem. Tandem importunis multorum occurren- "
tium verbis compulſus, educto ex imo pectore alto "
gemitu, petitis, inquit, cur plangam, fleam, la- "
menter, accipite cauſam. *Amor non amatur.* Hoc "
unum, ſi quid, lacrymis etiam ſanguineis lugeri di- "
gnum eſt. *Amor non amatur.* Quid hoc eſt? Ubi "
judicium noſtrum? Ubi fides? Amantur opes, pe- "
cuniæ, aurum, quid periculoſius? Amantur hono- "
res, tituli, dignitates. Quid vanius? Amantur de- "
liciæ, voluptates, illecebræ carnis. Quid fœdius? "
Amantur equi, canes, feles, porci. Quid vilius? "
Amatur mundus, amatur caro, amatur dæmon: "
omnia odio digniſſima amantur. *Amor non ama-* "
tur. Is qui nos creavit, conſervat, redemit, ab "
æterno dilexit, & ſic dilexit, ut filium ſuum uni- "
genitum nobis daret, qui nobis ſe amantibus æter- "
nam gloriam certiſſimis ſponſionibus promiſit; qui "
nobis aërem quo ſpiramus, cibos quibus veſci- "
mur, veſtes quibus operimur, terram quâ ſuſtine- "
mur, animam quâ vivimus, omnia denique gratis "
largitus eſt. Qui quidquid uſpiam in rebus procrea- "
tis amabile eſt, condidit: à quo ſuavia omnia dul- "
cedinem, venuſta formam, ſplendida lumen, ſpi- "
rantia vitam, intelligentia rationem, res denique "
omnes perfectionem omnem hauſerunt. Ille qui "
eſt illicium omnis amoris, conſummatio omnis de- "
ſiderii, terminus omnis motionis, ſatietas omnis "
appetitionis, centrum & finis rerum omnium. Uno "
verbo *amor non amatur.* O ſi nunc viveres Jere- "
mia! jam meritò ut olim clamares. *Quis dabit* "
capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacry- "
marum, & plorabo nocte ac die. Quid? niſi quod "
maximè eſt deplorandum. *Amor non amatur.* Hîc "
ſubſiſte pauliſper vir ſancte, imò ſanctiſſime! Ploratus
reprime, ululatus cohibe, ſingultus coerce. *Amor*

G 5

amatur. Amatur à Roberto, Roberto Illuſtriſſimo Font-Ebraldenſis Ordinis Fundatore; Roberto, qui *à pacto, quod cum Deo pepigerat, nunquam refrixit,* Roberto, qui *ſemper in amore Dei fervidior, ſemper recens fuit, ſemper devotior.*

Amor Beati Roberti erga proximum.

PRIMÒ. Amor B. Roberti erga peccatores ex Baldrico cap. 3. num. 18. *In ſermocinando contra peccatores videbatur invectivus, peccati verò deſertores affectu paterno conſolabatur: unde accidit, ut multi publicani & publicanæ ipſi adhæſerint, atque toto poſſe obedierint. Nullum ſiquidem remittebat errabundum: ſed tandem in ſinu ſuo pœnitentẽ confovebat collocatum.* Et cap. 4. num. 23. *Exprimat quis quid ſenſerit, ego audenter dico Robertum in miraculis copioſum, ſuper dæmones imperioſum, ſuper terrenos principes glorioſum. Quis enim noſtri temporis tot languidos curavit, tot leproſos mundavit, tot mortuos ſuſcitavit? Qui de terra eſt, de terrâ loquitur, & miracula in corporibus admiratur: qui autem ſpiritalis eſt, languidos & leproſos, mortuos quoque convaluiſſe teſtatur, quando quilibet animabus languidis, & leproſis ſuſcitandis conſulit & medetur. Denique* (*ut omnium pace dixerim*) *per quem paſtorum tot locutus eſt, tot operatus eſt Dominus?* Patuit ſanè Robertus ſancto Chryſoſtomo dicenti oratione tertiâ vel quartâ adversùs Judæos „ tom. 5. * Sicut cum vides pauperes, non facilè „ prætercurris, ita cum videris *peccatorem*, ne diſſi- „ mules, ſed reduc eum: hæc enim major eleemo- „ ſyna eſt quam illa; imò major, quàm decem mil- „ lia talentorum, & quàm hic mundus vniverſus,

quantus, quantus undique patet oculis. Siquidem " homo eſt toto mundo pretioſior: hujus enim causâ " & cœlum, & terra, & mare condita ſunt. Per- " pende igitur, quanta ſit dignitas ejus, cujus con- " ſulitur ſaluti, & ne contempſeris illius curam: " nam etiamſi pecuniæ vim immenſam dinumerave- " rit aliquis, nihil ſimile præſtiterit ei, quod præſtat " is, qui ſervat animam, & abducens ab errore ad " pietatem manu reducit. Qui dederit pauperi, fa- " mem ſoluit, qui correxit *peccatorem*, impietatem " extinxit; ille corpus liberavit à dolore, hîc ani- " mam eripuit à gehennâ.) Robertum igitur innumeras à gehennalibus pœnis animas vindicaſſe conſtat ex Baldrico Dolenſi Antiſtite modò laudato, ex Leodegario Bituricenſi Archiepiſcopo, oratione funebri, hîc pag. 30. ex beato Petro Pictavienſi Epiſcopo pag. 39. num. 9. Ex Fulcone juniore chartâ 840. pag. 58. Ex Guillelmo Neubrigenſi pag. 81. num. 1. Ex Guillelmo Malmeſburienſi num. 2. ex chronico Abbatiæ ſancti Sergii pag. 83. num. 7. Ex Martyrologio Sanctorum Ordinis Divi Benedicti num. 8. Ex antiquo Manuſcripto Abbatiæ Grandimontis num. 9. &c.

Secundò amor Beati Roberti ſuos erga inimicos. Ex Fr. Andrea cap. 4. num. 20. *Audito verò Roberti nomine, confeſtim turba latronum* (qui Robertum contumeliis affectum ex equo dejecerant) *timore perterrita ad pedes ſancti viri provoluta eſt, indulgentiam deprecativè poſtulando. Ipſe verò eorum pœnitudini congaudens, eorum petitioni æquo animo condonans quicquid circa eum malè egerant, elevavit eos à pedibus ſuis, atque benignè deoſculatus eſt. Quibus non ſolùm veniam quam flagitabant impertivit, verùm etiam, quod illi propter peccatum ſuum minùs merebantur, totius beneficii*

Digitized by Google

ſui illos participavit. Et num. 21. *patet profectò quantæ patientiæ, quantæve excellentiæ in doctrina Robertus iſte fuerit, qui eo modo, quo diximus, etiam inimicos ſuos remuneravit. Penſemus, ſi poſſumus, quantæ dilectionis fervore vir iſte fœlicis memoriæ amicos ſuos diligebat, qui juxta dominicum præceptum etiam adverſariis ſuis tanta beneficia ultroneus impendebat. Cum enim dicat ſcriptura: non contriſtabit juſtum, quicquid ei acciderit: liquet patenter in quanto juſtitiæ culmine vir iſte fuerit, qui nec provocatus injuriis, nec pro amicis à recto itineris tramite deviavit.*

Idem Andreas referens cap. 7. viri Dei ſub mortem preces, ait num. 37. *Oravit etiam tunc pro omnibus benefactoribus ſuis, & inimicis: & pro cunctis fidelibus vivis, atque defunctis. Ad ultimum etiam cœpit pro Vvillelmo Pictavienſium comite, qui exigentibus ſuis meritis excommunicationis gladio tunc ſauciatus erat, dominum exorare, ut, ſi ejus providentia eſſet, pro ſua benignitate dignaretur eum ad viam veritatis revocare. Apparet profectò, quàm magnâ vir iſte plenus fuerit charitate, qui ad finem uſque perſeveravit pro amicis, & inimicis ſuis tantâ devotione orare. Patet liquidò, quod inimicos ſuos, ut ſe, diligebat, qui eis dari illud orando optabat, quod ſibi ipſi à Deo tribui cupiebat.* Noverat certè Robertus illud Chriſti Domini Matth. 5. v. 44. *Ego autem dico vobis, diligite inimicos v[e]ſtros, benefacite his qui oderunt vos: & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos: ut ſitis filii patris veſtri qui in cœlis eſt, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos; & pluit ſuper juſtos & injuſtos.* Quod expendens ſanctus Chryſoſtomus tom. 5. loquens de manſuetudine, ait. * Igitûr quiſquis aſſimilari vult Deo,

Digitized by Google

ro virili ſit manſuetus ac mitis, feratque fortiter, "
quid gravius ab aliis patiatur. .. etenim ipſe Do- "
ninus & ſalvator noſter contumeliâ affectus, ver- "
eratus, cruci clavis affixus leniter tulit Judæorum "
urorem: & licet poſſet de eis vindictam ſumere, "
on ſumpſit tamen, ſed ſuam uirtutem oſtendit, "
oncutiens terram, ſuſcitans mortuos, & obſcurans "
olem, & noctem ex die faciens. Manſuetudinem "
utem & miſericordiam declaravit, quia nullum "
x his, qui egerant impiè, puniuit. Ut diſcerent "
mnes, qui manus impias intulerunt Domino, "
quàm non fuiſſet ei difficile ipſos punire, qui tam "
facile terram commovit, & ſolem repentè obſcu- "
rari præcepit. Ipſe verò adeò mitis fuit, ut non ſo- "
lùm manſuetè tulerit eos, qui crucifigebant eum, "
& blaſphemabant, ſed & patrem obſecravit, ne "
cœleſtibus adversùs impios telis uteretur.") Hanc Dei erga nefarios miſericordiam, hanc Chriſti Domini erga crucifixores manſuetudinem & clementiam expreſſit imitatione Robertus, qui ut ait Andreas, *latrones, à quibus affectus fuerat contumeliis, benignè deoſculatus eſt*; qui *juxta dominicum præceptum etiam adverſariis ſuis tanta beneficia ultroneus impendit*; qui *ad finem uſque pro inimicis ſuis tanta devotione orare perſeveravit.*

Tertiò amor B. Roberti erga omnes ex Baldrico cap. 3. num. 18. *Hypocriſim à ſe funditùs extirpabat, facie hilaris & jucundus, ſimplex & blandus in reſpondendo, copioſus in diſtribuendo, ſibi modicum, fratribus & ſororibus indulgebat multùm.* Et infrà. *Sermo ejus non poterat eſſe non efficax, quia, ut ita dixerim, omnibus omnia erat; pœnitentibus lenis, auſterus vitioſis, lugentibus blandus & facilis; virga irreverentium, baculus ſenum & vacillantium.* Et cap. 4. num. 22. *Leproſis*

Digitized by Google

etenim & ſuas manſiunculas, & monachalia clauſtra conſtruxit, & unde ſinguli alerentur Magiſter Robertus inſtituit: & perſæpe, quoad vixit, tales ipſe perſe humillimè viſitavit. Ex fr. Andreâ cap. 4. num. 17. *Hæc idcirco dixerim, ut oſtenderem quòd Robertus noſter non ſegnitiei vacabat, ſed modò juxta Evangelicum præceptum incarceratos viſitabat, modò & diſcordantes ad pacem revocabat.*

Perpende autem *omnibus omnia erat.* Gentium imitatus Magiſtrum dicentem 1. Cor. 9. v. 19. * Nam „cum liber eſſem ex omnibus, omnium me ſervum „feci: ut plures lucrifacerem. Et factus ſum Judæis „tanquam Judæus: ut Judæos lucrarer. Iis qui ſub „lege ſunt: quaſi ſub lege eſſem (cum ipſe non eſ„ſem ſub lege) ut eos qui ſub lege erant, lucrifa„cerem: iis qui ſine lege erant, tanquam ſine lege „eſſem [cum ipſe ſine lege Dei non eſſem ſed in lege „eſſem Chriſti] ut lucrifacerem eos qui ſine lege „erant. Factus ſum infirmis infirmus, ut infirmos lu„crifacerem. Omnibus omnia factus ſum: ut omnes „facerem ſalvos. *Sanctus Ioannes Chryſoſtomus Homil. 3. de laudibus ſancti Pauli.* † Quia igitur, „*inquit*, & initium & finis, & bona omninò uni„verſa dilectio eſt, vel in ipsâ ſtudeamus Paulum „imitari, etenim hic illius ope talis effectus eſt. Non „enim proponas mihi mortuos, quos ſæpius ſuſci„tavit, neque leproſos, quos eâdem virtute munda„vit, nihil horum requirit à te Deus. Poſſide charita„tem Pauli, & Perfectam adipiſcêris coronam.) Hujuſmodi coronam deſpondere ſibi poterat Robertus, qui teſte Baldrico Dolenſi Epiſcopo, *omnibus omnia erat, pœnitentibus lenis, lugentibus blandus & facilis, baculus ſenum & vacillantium.* Qui teſte Leodegario Bituricenſi Archipræſule. *Pes fuit claudorum, cæcorum oculus, ſolatium affli-*

Digitized by Google

ctorum, orphanorum pater, virginum cuſtos, refugium miſerorum, concordia diſſidentium.

Caſtitas Beati Roberti.

LIQUET ex Baldrico cap. 1. num. 7. *Ipſe denique Robertus ab ipsâ pueritiâ maturis moribus inoleſcere cœpit: nec enim, ut aſſolet, juvenis, ætatis illius, ſequebatur laſciviam: ſed nitidam, prout poterat, amplexabatur caſtimoniam, & intrinſecùs diligebat munditiem.* Porrò ſi nitidam à puero coluit Robertus caſtimoniam, quidni poſteà ſemper eam amplexatus? Juxta illud Proverb. 22. v. 6. *adoleſcens juxta viam ſuam, etiam cum ſenuerit, non recedet ab eâ.* Robertum non receſſiſſe tranſverſum unguem ab hac via ſuâ. Patet 1. ex incredibili ejus maceratione & abſtinentiâ, quam non modò caſtitatem indicare, ſed & parere aſſerit ſanctus Thomas ex divo Auguſtino 2. 2. q. 147. art. 1. *Et hoc eſt quod Auguſtinus dicit in quodam ſermone* (230. de tempore) *de oratione & jejunio. Iejunium purgat mentem, ſublevat ſenſum, carnem ſpiritui ſubjicit. Iejunium cor facit contritum & humiliatum, concupiſcentiæ nebulas diſpergit, libidinum ardores extinguit, caſtitatis verum lumen accendit.*

Patet 2° ex ardentiſſimo ejus in Deum amore, in quo ut refert Baldricus, *ſemper fervidior, ſemper recens fuit, ſemper devotior.* Amor autem divinus & amor laſcivus à mutuâ ſocietate abhorrent, ut præclarè ait ſanctus Gregorius 4. Moralium 30. vel 40. explicans mirabilem Jacobi cum Angelo luctam. *Iacob*, inquit, *qui Angelum tenuit, uno mox pede claudicavit: quia qui vero amore ſublimia reſpicit, jam in hoc mundo duplicibus incedere deſideriis neſcit. Vno enim innititur pede, qui ſolo Dei*

Digitized by Google

amore roboratur, & neceſſe eſt ut alius marceſcat: quia mentis virtute creſcente, oportet procul dubio ut carnis fortitudo langueſcat.

Patet 3° ex eo quòd innumeras tum meretrices à luxuriâ revocaverit, tum virgines ad perpetuam caſtitatem inflammaverit. Conſtat ex ſupradictis de primorum ejus alumnorum multitudine pag. 74. 75. & de ejuſdem erga peccatores amore. pag. 94. 95. At, ut teſtatur Baldricus cap. 2. num. 15. *quod prædicabat, complebat operibus.* Igitur priùs vitavit luxuriam, quam eam fugiendam docuerit, priùs coluit caſtitatem, quàm ad eam ſit cohortatus.

Patet 4° ex eo quòd martyr quantum in ipſo fuerit pro objurgatione luxuriæ, martyr pro defenſione caſtitatis (in Pictavienſi Concilio ad laſciviam principum coercendam anno 1100. congregato, vide p. 82. num. 3.) non ſecùs ac ſanctus Joannes Baptiſta, de quo D. Ambroſius lib 3. de officiis cap. 14. *Potuit tacere, niſi indecorum ſibi judicaſſet, mortis metu verum non dicere: ſciebat utique moriturum ſe eſſe quia regi adverſabatur, ſed honeſtatem ſaluti prætulit.*

Patet 5° ex eo quòd nuncupatus ſit *inſignis Eccleſiæ Angelus*, ex chartulario Prioratûs Tucionenſis. Quo nomine minimè fuiſſet inſignitus, ſi Angelicâ caſtitate non effulſiſſet.

Patet 6° ex eo quod regendo ſexui fœmineo à ſanctis Bernardo Tironenſi, & Vitali de Mauritonio fuerit præpoſitus. *Pio inter ſe placito conſtituto*, inquit Guillelmus Neubrigenſis lib. 1. de rebus Anglicis cap. 15. *Quod Robertus quidem fœminarum communi labore ad meliora converſarum ſollicitudinem gereret; Bernardus verò & Vitalis maribus propenſiùs providerent.* Tale verò munus non fuiſſet à ſanctis viris Roberto demandatum, niſi ipſam

bidinis umbram atque nomen perhorruiſſet.

Patet 7° tum ex Urbano ſecundo, Summo Pontifice, teſtante, quod *Spiritus ſanctus os ejus aperuerit.* Tum ex Baldrico ipſum vocante. *Habitaculum Ieſu Chriſti, templum & organnm Spiritus ſancti, reſponſalem & vicarium altiſſimi.* cap. 2. num. 14. & cap. 3. num 18. an autem Roberti in omnium cœno turpitudinum volutati habitator & incola fuiſſet Spiritus ſanctus, cui recipiendo haud idonei erant ipſi Apoſtoli, Chriſtum adhuc carnaliter diligentes. Ita ſanctus Auguſtinus explicans illud Joan. 16. v. 7. *Expedit vobis, ut ego vadam: ſi enim non abiero, paraclitus non veniet ad vos: ſi autem abiero, mittam eum ad vos.* † Tanquam diceret (*inquit tractatu 94. in Ioan.*) expedit vobis, ut hæc „ forma ſervi auferatur à vobis; caro quidem factum „ verbum habito in vobis, ſed nolo me carnaliter „ adhuc diligatis, & iſto lacte contenti, ſemper infan- „ tes eſſe cupiatis, expedit vobis, ut ego vadam, ſi „ enim non abiero, paracletus non veniet ad vos: ſi „ alimenta tenera, quibus vos alui, non ſubſtraxe- „ ro, ſolidum cibum non eſurietis: ſi carni car- „ naliter hæſeritis, capaces ſpiritus non eritis: nam „ quid eſt, ſi non abiero, paracletus non veniet ad „ vos: ſi autem abiero, mittam eum ad vos. Nunquid „ hic poſitus, eum non poterat mittere? Quis hoc „ dixerit? Neque enim ubi ille erat, iſte inde receſſe- „ rat, & ſic venerat à patre, ut non maneret in „ patre. Poſtremò quomodo eum etiam hîc conſtitu- „ tus non poterat mittere, quem ſcimus ſuper eum „ baptizatum veniſſe atque manſiſſe, imò verò à „ quo ſcimus eum nunquam fuiſſe ſeparabilem? Quid „ eſt ergo ſi non abiero, paracletus non veniet ad „ vos: niſi non poteſtis capere ſpiritum, quandiu „ ſecundùm carnem perſiſtitis noſſe Chriſtum? „

amore roboratur, & neceſſè eſt ut alius marceſcat: quia mentis virtute creſcente, oportet procul dubio ut carnis fortitudo langueſcat.

Patet 3° ex eo quòd innumeras tum meretrices à luxuriâ revocaverit, tum virgines ad perpetuam caſtitatem inflammaverit. Conſtat ex ſupradictis de primorum ejus alumnorum multitudine pag. 74. 75. & de ejuſdem erga peccatores amore. pag. 94. 95. At, ut teſtatur Baldricus cap. 2. num. 15. *quod prædicabat, complebat operibus.* Igitur priùs vitavit luxuriam, quam eam fugiendam docuerit, priùs coluit caſtitatem, quàm ad eam ſit cohortatus.

Patet 4° ex eo quòd martyr quantum in ipſo fuerit pro objurgatione luxuriæ, martyr pro defenſione caſtitatis (in Pictavienſi Concilio ad laſciviam principum coercendam anno 1100. congregato, vide p. 82. num. 3.) non ſecùs ac ſanctus Joannes Baptiſta, de quo D. Ambroſius lib 3. de officiis cap. 14. *Potuit tacere, niſi indecorum ſibi judicaſſet, mortis metu verum non dicere: ſciebat utique moriturum ſe eſſe quia regi adverſabatur, ſed honeſtatem ſaluti prætulit.*

Patet 5° ex eo quòd nuncupatus ſit *inſignis Eccleſiæ Angelus*, ex chartulario Prioratûs Tucionenſis. Quo nomine minimè fuiſſet inſignitus, ſi Angelicâ caſtitate non effulſiſſet.

Patet 6° ex eo quod regendo ſexui fœmineo à ſanctis Bernardo Tironenſi, & Vitali de Mauritonio fuerit præpoſitus. *Pio inter ſe placito conſtituto*, inquit Guillelmus Neubrigenſis lib. 1. de rebus Anglicis cap 15. *Quod Robertus quidem fœminarum communi labore ad meliora converſarum ſollicitudinem gereret; Bernardus verò & Vitalis maribus propenſiùs providerent.* Tale verò munus non fuiſſet à ſanctis viris Roberto demandatum, niſi ipſam

libidinis umbram atque nomen perhorruiſſet.

Patet 7° tum ex Urbano ſecundo, Summo Pontifice, teſtante, quod *Spiritus ſanctus os ejus aperuerit.* Tum ex Baldrico ipſum vocante. *Habitaculum Ieſu Chriſti, templum & organnm Spiritus ſancti, reſponſalem & vicarium altiſſimi.* cap. 2. num. 14. & cap. 3. num 18. an autem Roberti in omnium cœno turpitudinum volutati habitator & incola fuiſſet Spiritus ſanctus, cui recipiendo haud idonei erant ipſi Apoſtoli, Chriſtum adhuc carnaliter diligentes. Ita ſanctus Auguſtinus explicans illud Joan. 16. v. 7. *Expedit vobis, ut ego vadam: ſi enim non abiero, paraclitus non veniet ad vos: ſi autem abiero, mittam eum ad vos.* † Tanquam diceret *inquit tractatu 94. in Ioan.*) expedit vobis, ut hæc " forma ſervi auferatur à vobis; caro quidem factum " verbum habito in vobis, ſed nolo me carnaliter " adhuc diligatis, & iſto lacte contenti, ſemper infantes " eſſe cupiatis, expedit vobis, ut ego vadam, ſi " enim non abiero, paracletus non veniet ad vos: ſi " alimenta tenera, quibus vos alui, non ſubſtraxero, " ſolidum cibum non eſurietis: ſi carni carnaliter " hæſeritis, capaces ſpiritus non eritis: nam " quid eſt, ſi non abiero, paracletus non veniet ad " vos: ſi autem abiero, mittam eum ad vos. Nunquid " hîc poſitus, eum non poterat mittere? Quis hoc " dixerit? Neque enim ubi ille erat, iſte inde receſſerat, " & ſic venerat à patre, ut non maneret in " patre. Poſtremò quomodo eum etiam hîc conſtitutus " non poterat mittere, quem ſcimus ſuper eum " baptizatum veniſſe atque manſiſſe, imò verò à " quo ſcimus eum nunquam fuiſſe ſeparabilem. Quid " eſt ergo ſi non abiero, paracletus non veniet ad " vos: niſi non poteſtis capere ſpiritum, quandiu " ſecundùm carnem perſiſtitis noſſe Chriſtum? "

Patet 8° ex ipſius Roberti verbis à Fr. Andrea cap. 1. num. 5. relatis. *Scio hujus Ordinis dignitatem, ſcio virginem exigere. Denique ſcriptum eſt, quòd qui virgines cuſtodit, virgo debet exiſtere.* An verò Chriſtus Dominus Robertum (ſi in venerem fuiſſet propenſus) innumeris virginibus præfeciſſet? Chriſtus, inquam, qui *virginem virgini commendavit?*

Patet 9° ex amotione omnium libidinis incentivorum. Primum incentivum eſt molliſſimè cubare. Juxta illud Amos 6 v. 4. *Væ qui dormitis in lectis eburneis, & laſcivitis in ſtratis veſtris.* Hoc verò incentivum amovit Robertus, qui teſte Baldrico c. 2. num. 15. *lectiſternium præter humum vix novit*, & c. 3. num 18. *orans frequenter pernoctavit.* Secundum incentivum eſt vino indulgere. Unde ſapiens Proverb. 20. v. 1. *Luxurioſa res eſt vinum.* Hoc etiam incentivum ſuſtulit Robertus, de quo Baldricus locis citatis *vinum omninò, ciboſque lautos & ſaginatos neſcivit.* Tertium incentivum eſt opiparè epulari, ut conſtat ex illo Ezech. 16. v. 49. *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ, ſuperbia, ſaturitas panis, & abundantia.* Hoc incentivum pariter removit Robertus, nam referente Baldrico, *membra ſua diuturnâ maceravit inediâ, jejunia ſæpe continuavit.*

Patet 10. ex eo quòd maximâ fuerit apud omnes gloriâ, ut ſcribit Baldricus cap. 4. num. 21. *Erat autem acceptus Regibus, Epiſcopis, & Principibus, clericis, & quibuſlibet popularibus.* Porrò de luxurioſo legitur Proverb. 6. v. 33. *turpitudinem & ignominiam congregat ſibi, & opprobrium ejus non delebitur.* Hæc eadem argumenta, & plura alia noſtris in Diſſertationibus fusè & egregiè proſequemur.

Digitized by Google

Fiducia & ſpes B. Roberti in Deum.

INdubitata eſt ex Baldrico cap. 4. num. 24. *& hæc ſunt ſi neſcis, præter illa, quæ fecit B. Robertus, miracula, Deum diligere, Deo ſervire, Domini Roberti voluntatibus Deum tam efficaciter reſpondere: & omnia quibus indigebant ſui ſatellites, per manum ejus præbere. Noverat eius fidem, cuius nolebat offendere voluntatem. Denique dùm vixit, Robertum ſuum Deus ſemper extulit, quatenùs & ſua familia in manu eius augmentaretur quotidie, & unde ſingula conſummarentur, largiretur aſſiduè.*

Pondera autem, *noverat eius fidem, cuius nolebat offendere voluntatem.* Implebat enim Robertus illud Jacobi cap. 1. v. 6. *poſtulet autem in fide nihil hæſitans.* Quid vero ſit *poſtulare in fide?* Indicat D. Thomas ibidem. *Hoc eſt*, inquit, *in fiducia obtinendi illud quod petit. Nihil hæſitans; hoc eſt, de impetratione non diffidens.* Quod confirmat ex illo Math. 21. v. 21. *Si habueritis fidem, & non hæſitaveritis: non ſolùm de ficulneâ facietis, ſed & ſi monti huic dixeritis, tolle & jacta te in mare, fiet, & omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis.* Hîc itaque ex ſancto Thomâ *fides* pro fiducia & confidentia uſurpatur.

Hæc autem Roberti fiducia tantam apud Deum illi conciliarat autoritatem, ut ſpem in ipſo ſuam homines collocarent. Sic narrat Fr. Andreas cap. 3. num. 16. *Sed quid moror? Iam canonicis ipſis* (Carnotenſibus, à Carnotenſi Comite ob electionem Gaufridi Epiſcopi dirè vexatis (*ſola ſpes poſt Deum in noſtro Roberto reſtabat; unde factum eſt, ut miſſis legationibus ſuis præſtantiam illius cum omni ſupplicatione poſtularent. Noverant ſanè canonici, quia tan-*

tam gratiam dederat Deus viro, de quo loquimur, ut, quod aliis impoſſibile penitùs erat, hoc per illum ille, cui omnia poſſibilia ſunt, operari dignaretur. Nec obſtat locus Hieremiæ c. 17. v. 5. *Hæc dicit Dominus Deus: maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & à Domino recedit cor ejus.* Ibi enim de illo duntaxat ſermo eſt, qui in neceſſitatibus, & anguſtiis conſtitutus, ſpreto vel neglecto Dei auxilio, ad ſolius hominis opem confugit.

Gratus B. Roberti animus.

PRIMÒ de collatis ſibi beneficiis Robertus Deo gratias agit magnificas. Ex Fr. Andrea cap. 7. num. 40. *Annectebat his, qualiter ei poſteà innumerabilia bona ſine præcedentibus meritis præbuerit. Reddebat etiam Deo magnificas gratias, eò quod ſibi, aliorum meritis, tot & tanta beneficia tribuiſſet.* Quàm alienus itaque Robertus ab ingrati animi vitio, de quo loquens ſerm. 51. in cantica ſanctus Bernardus, ait. *Ingratitudo eſt inimica animæ, exinanitio meritorum, virtutum diſperſio, beneficiorum perditio. Ingratitudo eſt ventus urens, ſiccans ſibi fontem pietatis, rorem miſericordiæ, fluenta gratiæ.*

Secundò de bonis ſibi, & proximo ſimul conceſſis grates habet multimodas ex Fr. Andrea cap. 7. num. 40. *Poſt hæc agebat omnipotenti Deo multimodas gratias, pro his, aliiſque innumerabilibus beneficiis, humano generi collatis gratis.* Hîc fidelem ſervum ſe præſtat Robertus. Nam ut ſolidè docet S. Chryſoſtomus lib. 2. de compunctione † Hic eſt affectus „ ſervi fidelis, ut beneficia Domini ſui, quæ communiter data ſunt omnibus, quaſi ſibi ſoli præſtita „ reputet, quaſi ipſe ſit omnium debitor, & pro omnibus

nibus ipſe ſolus habeatur obnoxius. Hoc fecit & " Paulus, qui mortem Domini & Salvatoris noſtri, " quæ pro univerſo expenſa eſt mundo, ſibi ſoli " præſtitam dicit quaſi enim de ſe ſolo loquens, ita " ſcribit. [a]. Quod enim nunc vivo in carne, " in fide vivo Filii Dei, qui tradidit ſemetipſum " pro me. Hæc autem dicebat, non coanguſtare vo- " lens ampliſſima, & per orbem terræ diffuſa Chriſti " munera; ſed quaſi qui, ut diximus, pro omni- " bus ſe ſolum judicaret obnoxium. Et reverâ quid " intereſt, ſi & aliis præſtitit, cùm quæ tibi præſtita " ſunt, ita integra ſint, & ita perfecta, quaſi nulli " alii ex his aliquid fuerit præſtitum? ideo denique " & in illâ boni Paſtoris parabolâ non dicitur, quia " venit oves multas quærere, ſed unam; una nam- " que eſt, quia ſic omnibus, quaſi uni, divina be- " neficia conferuntur.) Fidelis itaque Dei ſervus Robertus noſter, qui Divinorum beneficiorum ſibi aliiſque pariter tributorum memorem ſe præbet, *quaſi ipſe ſit omnium debitor, & pro omnibus ipſe ſolus habeatur obnoxius.*

Tertiò. Interiore iſto grati animi ſenſu alumnos ſuos affecerat, teſte Baldrico. cap. 3. num. 19. *cum gratiarum actione ſuſcipiebatur quidquid erat, & gratiarum actione laudabatur Deus, cum quid deerat. In neutram partem ingrati eſſe volebant, quia de præſentibus gratias gaudenter actitabant, futura certiores, & ſpe robuſti expectabant: ſumebant copiam, & ſine murmure ſuſtinebant inopiam: In utroque verò benedictus Deus.* Ut implerent illud. 1. Theſſalon. 5. v. 17. *ſemper gaudete, ſine intermiſſione orate, in omnibus gratias agite. Hæc enim voluntas Dei eſt in Chriſto Ieſu in omnibus nobis.* In quæ verba ſanctus Leo Papa Serm. 1. de Jejunio,

a. Galat. 2.

„ * Fideles & pios diſcipulos pietatis nihil magis com-
„ mendat & munit, quàm perſeverans in Deum in-
„ defeſſa laudatio, dicente Apoſtolo, *ſemper gau-*
„ *dete, ſine intermiſſione orate, in omnibus gratias*
„ *agite.* Quod igitur placet Deo, placeat & omni-
„ bus nobis: tam enim nobis copiâ, quam parcitate
„ conſulitur; oriatur de cordis agro quod terra non
„ dedit. Novit Dominus vaſa hoſpitalis Viduæ in
„ opus pietatis ſuæ vacuata complere; novit aquas
„ in vina convertere; novit de pauciſſimis panibus
„ quinque millia eſurientium ſaturare populorum,
„ & ille qui potuit augere dando, poteſt multipli-
„ care ſumendo.) His perſuaſi Font-Ebraldenſes *cum gratiarum actione ſuſcipiebant quidquid erat, & gratiarum actione laudabant Deum, cum quid deerat.* Interiore iſto ſenſu gratiæ commoverat eos Robertus, ipſorum Sanctiſſimus Inſtitutor.

Humilitas B. Roberti.

PRIMUM de humilitate B. Roberti teſtimonium promitur ex Fr. Andreâ. cap. 1. num. 5. *Tunc ait ad eos. Scitis, dilectiſſimi mei, quod, quicquid in mundo ædificavi, ad opus ſanctimonialium noſtrarum feci, eiſque poteſtatem omnem facultatum mearum præbui: &, quod his majus eſt, & me, & meos diſcipulos pro animarum noſtrarum ſalute earum ſervitio ſubmiſi.* Mulieri tanquam Matri ſe ſubdidit Robertus: humiliavit ſe non ſecùs ac parvulum: nonne igitur in Regnum Cœlorum intravit? ipſâ veritate teſtante. Matth. 18. verſ. 3. *Amen dico vobis, niſi converſi fueritis, & efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in Regnum Cœlorum. Quicunque ergo humiliaverit ſe ſicut parvu-*

Digitized by Google

lus iſte, hic eſt major in Regno Cœlorum.

Secundum teſtimonium. Ex eodem. cap. 6. num. 33. ubi Robertum alloquentem Leodegarium Bituricenſem Archiepiſcopum ſic inducit. *Nolo poſtremò humari in quolibet loco alio, niſi ſolùm in Fontis-Evraldi loco. Scis enim, mi Pater, quòd ego locum Fontis-Evraldi omnium aliorum locorum caput conſtitui; Ibi etiam eſt major pars noſtræ Congregationis, ibi etiam fundamentum noſtræ Religionis. Non Rogo te, ut ſepelias me in Monaſterio, vel in Clauſtro; ſed tantùm inter fraterculos meos in Fontis-Evraldi luto.* Monet Sapiens Eccli. 3. v. 20. *Quantò magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam.* Senſus autem is eſt, quantò major (nam Hebræa lingua pro comparativo poſitivum ſolet adhibere) quantò doctior, quantò ſapientior, quantò in ſublimiori gradu conſtitutus es, *humilia te*, non aliquando, & in aliquibus rebus, ſed *in omnibus.* Hoc ad praxim reduxit ſanè Robertus, qui non ſolùm vivus, ſed etiam mortuus; non ſolùm in Clauſtro, ubi mulieri ſe ſubjecit, ſed etiam in ſepulchro humiliavit ſe, volens inter Fraterculos ſuos atque ſorores luto mandari. Quod ſummam indicat humilitatem, ad quam ſancto teſte Chryſoſtomo [a]. Romanos D. Paulus hortabatur. cap. 1. v. 7. *Omnibus qui ſunt Romæ dilectis Dei, vocatis ſanctis, gratia vobis & pax à Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu-Chriſto.* * Veriſimile erat, *Inquit ſanctus Chryſoſtomus*, Inter eos qui jam in Chriſtum crederent, aliquos eſſe & Conſules, & Magnates & Provinciæ Præſides, & pauperes, item & privatos. Abjiciens ergo & repudians dignitatum inæqualitatem, unà omnes appellatione & ſalutatione dignatur. Quòd ſi in his, quæ magis neceſſaria ſunt, quæque

a. Homil. 1. in Epiſt. ad Rom.

Digitized by Google

„ ad ſpiritum pertinent, communia omnia, tùm ſer-
„ vis, tùm liberis, propoſita ſunt: quòd genus
„ ſunt charitas, vocatio, Evangelium, adoptio Dei
„ in Filios, gratia, pax, ſanctificatio, & alia hu-
„ juſmodi, quî poſtremæ non fuerit dementiæ,
„ quos Deus copulaverit, æquales in maioribus ef-
„ fectos, hos à terrenis negotiis diſtinguere. Ea-
„ propter ab ipſo præmio, periculoſum hunc
„ illorum morbum expellens divus hic, ad bono-
„ rum omnium matrem animi humilitatem ipſos
„ ſubvehit, & hoc ipſo, ſervos meliores efficiebat,
„ dùm edocerentur, quòd è ſervitute nihil accepe-
„ rint detrimenti, ut qui libertatem eam, quæ vera
„ ſit, adepti eſſent: & hoc etiam ipſo Dominos ad
„ modeſtiam componebat, dùm diſcerent, quòd
„ nihil emolumenti ab ipsâ libertate habituri eſſent,
„ niſi quæ ad fidem ſpectant, præceſſiſſent.] Hac igitur de causâ inter Fraterculos ſuos voluit in luto condi Robertus, quia ſcilicet, *Si in his quæ ad ſpiritum pertinent, communia cuncta, qualis erit dementiæ, quos Deus copulaverit, æquales in majoribus effectos, hos diſtinguere à terrenis negotiis?* Sed illi in noviſſimo loco cupienti recumbere dictum eſt. *Amice, aſcende ſuperiùs*; ad dextrum ſiquidem altaris cornu, ſanctiſſimi ordinis utpotè fundator, humatus eſt.

Tertium teſtimonium ex eodem. cap. 7. num. 41. *Se pœnitebat de eo, quod talentum ſibi à Deo creditum, non, ut deberet, multiplicaverat. Tunc dicebat, quod ipſe Religionem mulierum coadunaverat, quæ laborem Sanctæ Religionis pro Deo excellenter ſuſtinebant, ſed ipſe ſolus earum laudem habuerat.* Ipſe Robertus chartâ datâ Pictavi anno. 1109. Petrum Pictavienſem ejuſque Canonicos compellans, *Eccleſiam, fratres dilectiſſimi*, inquit,

Digitized by Google

quam in honore S. Dei genitricis, opitulante filii ipſius miſericordiâ, & tuâ, Petre pater R. cooperante ſolertiâ, in veſtra Diœceſi in loco qui Fons-Evraudi vocatur fundavimus, veſtræ tuitionis patrocinio poſt Domini tradimus; ut ſanctimoniales quas Dominus Noſter Ieſus-Chriſtus per me licet indignum Sacerdotem de luxu revocatas in loco ſupradicto plurimas ad laudem & gloriam ſui nominis congregavit, oblitis curis ſæcularibus, ſub veſtræ protectionis clypeo, carnem doment, ſpiritum roborent, divino prorſus ut cœperunt, invigilantes ſervitio.

Pondera autem iſta verba. *Sanctimoniales, quas Dominus Noſter Ieſus-Chriſtus per me licet indignum Sacerdotem de luxu revocatas congregavit.* Quæ Robertum commendant demiſsè deſe loquentem ac ſentientem, ſimulque maximam ejus exhibent apud Deum & homines gloriam, ſancto teſte Chryſoſtomo Homil. 38. ad Populum. * Caveamus, *inquit*, aliquid de nobis dicere: hoc enim & hominibus odioſos, & Deo reddit abominabiles, & quantò majora præſtitimus, tantò minora de nobis dicamus: ſic enim gloriam aſſequemur maximam & apud homines, & apud Deum, quinimo neque gloriam tantùm apud Deum, verùm & mercedem, & magnam retributionem. Nam & nos ſervos habentes, maximè tunc eos acceptos habemus, cùm, poſt quam omnia benevolè miniſtraverint, nihil ſe magnum cenſent effeciſſe. Sic Centurio dicebat: [a]. *Domine non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum, ſed tantum dic verbo, & ſanabitur puer meus.* Et propterea dignus factus eſt, & admirationi ſuper omnes Judæos habitus. Sic & Paulus dicens: [b]. *Non ſum dignus vocari Apoſtolus.*

a. Matth. 8. v. 8. *b.* 1. Cor. 15. 9.

Digitized by Google

„ Et propter hoc omnium primus factus eſt. Itidem „ & Joannes. [a]. *Non ſum*, inquit, *dignus*, *ut ſolvam corrigiam calceamenti ejus*. Et ideo amicus „ fuit ſponſi, & manum, quam eſſe calceamento dixit indignam, hanc ſuper caput ſuum Chriſtus „ attraxit. Sic & Petrus dicebat. [b]. *Exi à me Domine, quia peccator homo ſum.* Et ideo factus „ eſt Eccleſiæ fundamentum.) Similiter & Robertus ſeipſum confitens INDIGNUM SACERDOTEM, à Deo electus eſt Font-Evraldenſis Ordinis inſtitutor, *acceptus*, ut ait Baldricus, *Regibus & Principibus, Epiſcopis & Clericis, Conſulibus & quibuſlibet Popularibus.*

Quartum teſtimonium ex eodem ibidem. *Poſtquam autem vir Catholicus ſuam credulitatem coram ſancta Cruce, audientibus illis, qui ibi erant, plenariè narravit; dehinc peccatorum ſuorum Confeſſionem, inauditè ſe accuſando, publicè manifeſtavit dicens: audi Presbyter peccata mea, quin etiam audite Cœli & terra. Filius Dei venit in mundum peccatores ſalvos facere, quorum primus ego ſum.* Profundam hìc demirare B. Roberti humilitatẽ. Nam ut ait ſanctus Joannes Chryſoſtomus Homil. 5. de incomprehenſibili Dei naturâ. † Nulla „ humilitas eſt, ut, cum peccator ſis, peccatorem „ te opineris: humilitas enim eſt quoties quiſpiam „ rerum præclararum ſibi conſcius, nihil magni de „ ſe ipſo exiſtimat. Quoties quis Paulo ſimilis dicere jure ſuo poteſt: nullius mihi ipſe ſum conſcius „ & tamen dicit, non in hoc juſtificatus ſum. Et „ Chriſtus Jeſus venit peccatores ſalvare, quorum „ primus ſum ego. Hoc eſt humilitas, ſi te excelſum per virtutum officia, humilem per opinio„ nem reddas.) Hac autem paulinâ humilitate mirabiliter excelluit Robertus, qui corde contrito,

a. Ioan. 1. 27. b. Luc. 5. 8.

moriens dicebat. *Filius Dei venit in mundum peccatores ſalvos facere, quorum primus ego ſum.*

Lacrymarum dono præditus erat Robertus.

EX Baldrico. cap. 3. num. 18. *Pectore gemebundus, oculo madidus.* Ex Fr. Andrea cap. 3. num. 14. *Pernox in vigiliis, ſuperabundans in lacrymis.* Liceat ſancti verba Chryſoſtomi de Davide lacrymante, ad lacrymantem Robertum transferre. [a]. *Quidnam dic, oro, illis oculis formoſius, perpetuo lacrymarum imbre, quaſi margaritarum decore ornatis?* Illo itaque lacrymarum dono ſanctus Fundator inſtructus erat, quòd à Chriſto Domino vehementius efflagitabat ſanctus Auguſtinus meditatione. 36. † Da mihi evidens ſignum amoris tui, " irriguum lacrymarum fontem jugiter emanantem; " ut ipſæ quoque lacrymæ, tui in me teſtentur " amorem, ipſæ prodant, ipſæ loquantur, quantùm te diligit anima mea: dùm præ nimiâ dulcedine amoris tui, nequit ſe à lacrymis continere. " *Et infra.* Rogo te bone Ieſu per illas pretioſiſſimas lacrymas tuas, & per omnes miſerationes " tuas, quibus mirabiliter nobis perditis ſubvenire " dignatus es: da mihi gratiam lacrymarum, quam " multum deſiderat & appetit anima mea: ſine dono tuo, non poſſum habere eam, ſed per Spiritum " Sanctum tuum, qui dura corda peccatorum mollit, " & ad fletum compungit. Da mihi gratiam lacrymarum, ſicut dediſti Patribus noſtris, quorum veſtigia debeo imitari; ut plangam me in " omni vitâ meâ, ſicut ipſi ſe planxerunt nocte ac " die. "

a. Homil. 30. in Gen.

Obedientia Beati Roberti.

PRIMÒ. Robertus obedit Sylveſtro Redonenſi Epiſcopo. Ex Baldrico. cap. 1. num. 8. *Accerſitum Robertum taliter alloquitur. Vides, inquit, Frater chariſſime, quomodo ſancta Redonenſis Eccleſia Mater tua ſine regimine vacillat, hoc præſertim tempore, cùm me penè laicum ei contigerit præeſſe. Eſto igitur, quæſo, in reſponſis Eccleſiaſticis noſter interpres: audiam te, & loqueris in me. Annuit Robertus loquentis obſecrationibus.*

Secundò. Robertus obtemperat Urbano ſummo Pontifici. Ex Baldrico cap. 2. num. 14. *Locutus eſt ergo luculenter ad populum; cujus verba valdè Domino Papæ complacuerunt. Imperat denique, & injungit ei prædicationis Officium, & aliquantulùm renitenti* (ex humilitate) *ei talis obedientiæ commendat miniſterium. Hinc ex tunc ſummi Pontificis legationi curioſus cœpit inſiſtere, & finitimorum Epiſcopatuum Regiones perambulare.* Proverb. 21. v. 28. dicitur. *Vir obediens loquetur victoriam.* Et requidem ipsâ, quot Victorias Robertus, Urbano ſummo Pontifici obſecutus, obtinuit de Simoniacis, diffidentibus, impudicis, avaris, & cæteris peccatoribus, quos ab improbâ peccandi conſuetudine ad honeſtam vitæ rationem traduxit?

Tertiò Robertus paret Mulieri. Ex Fr. Andreâ cap. 1. num. 3. Sic ſuos allocutus eſt alumnos. *Deliberate vobiſcum, dum adhuc vivo, utrùm permanere velitis in veſtro propoſito; ut ſcilicet pro animarum veſtrarum ſalute obediatis ancillarum Chriſti præcepto. Scitis enim, quia quæcumque,*

Deo cooperante, alicubi ædificavi, earum potentatui, atque dominatui ſubdidi. Et num. 5. *Et quod his majus eſt, & me, & meos Diſcipulos pro animarum noſtrarum ſalute earum ſervitio ſubmiſi.* Ad ſeipſum hæc Dei verba. Exodi 25. v. 40. ſpectare Robertus arbitratus eſt. *Inſpice, & fac ſecundùm exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt.* Quid verò monſtratum eſt Roberto? Chriſtus ſcilicet Crucifixus, à ſancto Joanne monſtratus eſt, apud Mariam hæc verba faciens. *Ecce filius tuus.* Et apud Diſcipulum, iſta. *Ecce Mater tua.*

Mirati ſunt nonnulli, & plures quotidie mirantur, quod Robertus, vir non modò pius, verùm etiam Sapientiſſimus, Doctor Theologus, Abbasque Rotæ quondam celeberrimus, ſubjectionem Religioſorum Sacerdotum ad Antiſtitam mulierem inſtituerit: ſed qui ejus conſilium introſpexerit, ſublimem planè & humilitatis & obedientiæ formam animadvertet Monachis Font-Ebraldenſibus ab eo conſtitutam. Noverat enim vir eximius, ſubjectionis ad caput longè abjectius & deſpicatius exemplum extare in Cœlo, in veteri & in novo Teſtamento, in orbe etiam univerſo; nihilque in eâ juri vel naturali, vel Divino, vel Eccleſiaſtico repugnans contineri, ſed quædam potiùs virtuti obedientiæ conſentanea, ut in quarta diſſertatione oſtenſurum me, confido. Audiendus interim D. Bernardus aureis verbis, & nullâ oblivione delendis explicans Homil. 1. *Super miſſus eſt.* Illud Lucæ 2. v. 51. *& erat ſubditus illis.*

† Erat, *inquit*, ſubditus illis. Quis? quibus? " Deus hominibus, Deus, inquam, cui Angeli " ſubditi ſunt, cui principatus & poteſtates obe- " diunt, ſubditus erat Mariæ, nec tantùm Mariæ, " ſed etiam Joſeph propter Mariam. Mirare ergo "

Digitized by Google

„ utrumlibet , & elige quid mireris amplius , ſive
„ Filii benigniſſimam dignationem , ſive Matris ex-
„ cellentiſſimam dignitatem. Utrinque ſtupor, utrin-
„ que miraculum , & quod Deus fœminæ obtem-
„ peret , humilitas ſine exemplo , & quòd Deo fœ-
„ mina principetur , ſublimitas ſine ſocio. In lau-
„ dibus virginum ſingulariter canitur, quod ſequun-
„ tur agnum quoqunque ierit ; quibus ergo laudibus
„ judicas dignam , quæ etiam , præit ? diſce homo
„ obedire , diſce terra ſubdi , diſce pulvis obtem-
„ perare. De authore tuo loquens Evangeliſta. *Et*
„ *erat* , inquit , *ſubditus illis.* Haud dubium quin
„ Mariæ & Ioſeph. Erubeſce ſuperbe cinis , Deus
„ ſe humiliat , & tu te exaltas ? Deus ſe hominibus
„ ſubdit, & tu dominari geſtiens hominibus tuo te
„ præponis autóri. Si hominis , O homo , imitari
„ dedignaris exemplum , certè non erit indignum
„ ſequi autorem tuum. Si non potes ſequi forſitan
„ quocumque ierit , dignare ſequi vel quo tibi con-
„ deſcendit.) Hæc ultima ponderent verba qui
Font-Ebraldenſe inſtitutum arrogantiùs audent ſu-
gillare.

Patientia Beati Roberti.

DE Chriſto Domino 1. Petri 2. v. 23. habetur. *Cum malediceretur , non maledicebat : cum pateretur , non comminabatur , tradebat autem judicanti ſe injuſtè.* Ipſum , utpotè fidelis Diſcipulus , imitatus Robertus , execrandas calumnias ſolâ taciturnitate propulſavit. Accuſatus eſt à Roſcelino , Scelerato , Hæretico , in Concilio Sueſſionenſi damnato , *Inter mulieres noctu frequenter cubuiſſe.* Accuſatus eſt , *omne genus humanitatis nullâ ſer-*

Digitized by Google

vatâ parcitate eiſdem exhibuiſſe. Quid ad hæc Robertus ? hujuſmodi crimina, falsò impoſita, & malitiosè conficta alto duntaxat ſilentio confutavit, Chriſtum Dominum magiſtrum ſuum æmulatus, de quo eleganter ſanctus Auguſtinus Sermone 118. de tempore. *Mirum fratres, quòd arguatur ſalvator, & taceat. Accuſationem ſuam Dominus tacendo non firmat, ſed deſpicit non refellendo. Benè enim tacet, qui defenſionem non deſperat. Feſtinet loqui, qui timet vinci. Sed quid de Chriſto Deo loquar? Suſanna mulier tacuit, & inimicos ſuos vicit. Non enim apud Danielem in ſermone tuitio eſt, ſed in ſanctâ fœminâ, tacente linguâ, pro ea caſtitas loquitur.* Sic etiam in Sancto Fundatore, *tacente linguâ pro eo caſtitas loquuta eſt*, quâ, teſte Baldrico cap. 1. num. 7. ab ipſo primo ætatis exordio mirificè præfulſit.

Paupertas Beati Roberti.

COMPERTA eſt ex Baldrico cap. 3. num. 19. *Ipſius delibutum Sermonibus, intantùm peccatis abrenuntiantium crevit examen, ut numerus fuerit penè innumerus: quos alio nolebat cenſeri vocabulo, niſi pauperes Chriſti.* Et cap. 4. num. 23. *Nonne Robertus evidenter illius imitator claruit, qui dixit,* [a] Spiritus Domini ſuper me; Evangelizare pauperibus miſit me. *Iſte revera pauperibus Evangelizavit, pauperes vocavit, pauperes collegit.* Et num. 24. *Robertus iſte, iſte, inquam, Robertus omnimodè pro Chriſto pauperatus, exul à patriâ, & à propriis cognationibus, turbis, quibus prædicaverat, circumſeptus, in Font-Evraldenſi ſolitudine, ſine cujuſlibet redituſ pecuniâ multas pauperibus manſiones ædificavit propter Chriſtum.*

a. Luc. 4. v. 18.

Digitized by Google

Ex chartulario Fontis-Ebraldi chartâ 531. *Ego Garſirius de Macheco dono Deo, & Beatiſſimæ Mariæ, & domno Roberto de Arbriſſello, & Sanctimonialibus de Fonte-Ebraudi omnes meas conſuetudines ligeris & maris, ad proprias res faciendas pauperibus Fontis-Ebraldi, &c.* Ex Martyrologio Pontis-raterii (*Pont-ratier*) Prioratûs Ordin. Fontis-Ebraldi. *Prid. non. Decemb. migravit ex hoc mundo chariſſima Mater noſtra Agnes, Monacha, adjutrix pauperum Vrſani, quæ totius boni noſtri caput fuit.*

Quid inſuper referam de propagato Font-Ebraldenſi ordine? ex variis conſtat chartulariis, Robertum nullum condidiſſe Monaſterium, niſi rogatu, & impulſu Diœceſanorum Epiſcoporum. Clarum eſt ex laudatis teſtimoniis, Amelii Toloſani Epiſcopi hîc pag. 27. num. 2. Leodegarii Bituricenſis Archiepiſcopi. pag. 29. num. 7. Guillelmi Petro-Goricenſis Epiſcopi. pag. 38. num. 6. Guillelmi Sancti Florentii Salmurienſis Abbatis. pag. 48. num. 7. Petri de Gaſnachia. pag. 71. chartâ. 205. Richardi Pictavenſis. pag. 82. num. 6. &c. Nonne igitur de Roberto & alumnis ejus illud Chriſti Domini Matth. 5. v. 3. intelligendum. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt Regnum Cœlorum.* Quæ quidem verba triplicem declarant B. Roberti, & aliorum pauperum ſpiritu prærogativam.

Prima eſt, quòd, licet mitibus, lugentibus & miſericordibus Regnum Cœlorum promittatur in præmium, non tamen ſub nomine Regni Cœlorum ſpondeatur; ſed mitibus ſub nomine terræ. *Beati mites: quoniam ipſi poſſidebunt terram.* Lugentibus, ſub nomine conſolationis. *Beati qui lugent: quoniam ipſi conſolabuntur.* Miſericordibus ſub nomine miſericordiæ. *Beati miſericordes: quoniam ipſi miſeri-*

Digitized by Google

cordiam conſequentur. At B. Roberto, & aliis pauperibus ſpiritu, ipſum Regnum Cœlorum & quidem ſub nomine Regni Cœlorum conſignatur.

Secunda eſt, quia aliis de futuro promittitur Regnum Cœlorum, *poſſidebunt terram*, *conſolabuntur*, *miſericordiam conſequentur.* At B. Roberto, & aliis pauperibus ſpiritu, non tam promittitur, quàm datur. Non enim dicitur, *ipſorum erit*, ſed, *ipſorum eſt Regnum Cœlorum*, ut ſumma mercedis certitudo deſignetur. Obſervat hoc eleganter, nec minùs piè D. Bernardus Serm. 4. de Adventu ſuper illa verba Pſal. 67. *Pennæ Columbæ deargentatæ, &c. Magna*, inquit, *penna eſt paupertatis, quâ tam citò volatur in Regnum Cœlorum: Nam in aliis virtutibus quæ ſequuntur, promiſſio futuro tempore indicatur: paupertati non tam promittitur, quàm datur. Unde & præſenti tempore enuntiatum eſt; quoniam ipſorum eſt Regnum Cœlorum; Cùm in cæteris dicatur: hæreditabunt, conſolabuntur, & ſimilia.*

Tertia eſt, quia non dixit Chriſtus de pauperibus ſpiritu. *Ipſi ſunt de Regno Cœlorum*, ſed *ipſorum eſt Regnum Cœlorum.* Ut eorumdem dignitas & excellentia demonſtretur. At, inquiet aliquis, quid inter hæc duo intereſt? multùm quidem & per omnem modum: immò tantum inter hanc duplicem loquendi formulam diſcrimen eſt, quantum Regem inter & ſubditos ejus. De ſubditis quippe aſſeritur. *Ipſi ſunt de Regno Galliæ.* De Rege verò, *ipſius eſt Regnum Galliæ.* Sic de B. Roberto, & aliis pauperibus Spiritu Chriſtus, non, *ipſi ſunt de Regno Cœlorum*, ſed *ipſorum*, ait, *eſt Regnum Cœlorum*, eos conſtituens & prædicans Regni Cœlorum Reges.

Digitized by Google

Pietas B. Roberti & Religio.

PRIMÒ. Orationem cum lectione conjungit. Ex Baldrico cap. 1. num. 10. *Venit igitur Andegavum, ibique Scholaribus incubuit ſtudiis: nec propterea tepebat à Religione, ſiquidem divinæ poſt lectionem aſſiſtebat Philoſophiæ; vitabat otioſus eſſe, nunc Orationi, nunc verò lectioni deditus.* Ex Fr. Andreâ cap. 4. num. 22. *Ad locum Vrſani, ad quem tendebat, non ſine antecedente fidei diſpenſatione pervenit. Quo in loco circa quindecim dies cum dilectis ſibi filiis & filiabus commoratus; lectioni & orationi, atque prædicationi, cæteriſque virtutum exercitiis indefeſſus vacabat.* Sapientem imitatione conſequutus, de quo Eccli. „ cap. 39. v. 1. * Sapientiam omnium antiquorum „ exquiret ſapiens, & in Prophetis vacabit. Narra„ tionem virorum nominatorum conſervabit, & „ in verſutias Parabolarum ſimul introibit. Cor ſuum „ tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fe„ cit illum, & in conſpectu altiſſimi deprecabitur. „ Aperiet os ſuum in oratione, & pro delictis ſuis „ deprecabitur. Si enim Dominus magnus voluerit, „ ſpiritu intelligentiæ replebit illum: & ipſe tan„ quam imbres mittet eloquia Sapientiæ ſuæ, & in „ oratione confitebitur Domino. Collaudabunt mul„ ti Sapientiam ejus, & uſque in ſeculum non de„ lebitur.

Secundò. Divinum Miſſæ Officium ſanctiſſimè & piiſſimè exequitur. Ex Baldrico. cap. 4. num. 22. *Miſſarum celebrationibus cum tota devotione ſingultuoſus inſtabat, &, ut ita dixerim, nihil, quod irreligionis eſſet, ſcienter admittebat. De-*

Digitized by Google

minus ſolus erat, totus anxiabatur, quoniam in turbâ quietus putabatur. Ejus quodlibet colloquium moralis ædificatio erat: nam quidquid dicebat, Deum ſapiebat.

Tertiò noctes orando traducit. Ex Baldrico. cap. 3. num. 18. *Orans frequenter pernoctavit.* Ex Fr. Andreâ. cap. 3. num. 14. *Pernox in Vigiliis fuit.* De Chriſto Domino Luc. 6. v. 12. dicitur. *Exiit Ieſus in Montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.* Quod expendens ſanctus Ambroſius ait lib. 5. Comment. in Lucam cap 6. *Species tibi Chriſtiane datur, forma præſcribitur, quam debeas æmulari. Quid enim pro ſalute tua te facere oportet, quando pro te Chriſtus in oratione pernoctat?* Nonne ſecutus exemplum hoc Chriſti Domini Robertus?

Quartò ab oratione non vacat. Ex Baldrico. cap. 1. num. 10. *Ad eremum quippe poſteà proceſſit, ſeque totum contemplationi dedicavit.* Et cap. 4. num. 21. *Dominus verò Robertus nunquam vel à prædicatione, vel ab Oratione quibuſlibet occaſiunculis avulſus eſt.* Ex Fr. Andreâ cap. 3. num. 14. *in jejuniis aſſiduus, in orationibus præcipuus.* Juxta illud tùm Chriſti Domini Lucæ 18. v. 1. *Oportet ſemper orare, & non deficere.* Tum D. Pauli ad Coloſſ. 4. v. 2. *Orationi inſtate, vigilantes in eâ, in gratiarum actione.* Et 1. Theſſ. 5. v. 17. *ſine intermiſſione orate. In omnibus gratias agite.* Et Epheſ. 6. v. 18. *Orantes omni tempore in ſpiritu, & in ipſo vigilantes, in omni inſtantiâ & obſecratione.* Perpetuæ orationis neceſſitatem triplici exemplo adſtruit ſanctus Joannes Chryſoſtomus. Primum ducitur ex arboribus. *Sic orare nos docet ſemper,* (inquit lib. 1. de orando Deo) *Ille Apoſtolorum Princeps: ſiquidem hoc omnes homines non minùs opus habemus, quam arbores humore aquarum. Neque enim*

valent illæ fructus producere, niſi bibant humorem radicibus: neque nos pretioſis pietatis fructibus poterimus eſſe gravidi, niſi precibus irrigemur. Secundum exemplum petitur ex civitate. *Sicut civitas,* inquit Lib. 2. *Quæ muris cincta non eſt, facilè venit in poteſtatem hoſtium, ſic & animam non munitam precibus Diabolus facilè in ſuam redigit ditionem, nec multo negotio omni genere ſcelerum implet.* Tertium exemplum ſumitur ex piſce. *Si ergo te ipſum oratione deſtitueris, perinde feceris, ac ſi piſcem ex aquis extraxeris: ut enim piſci vita eſt aqua, ita & oratio tibi.*

Quintò. Utitur Robertus Deo valdè familiariter. Ex Baldrico cap. 2. num. 11. *Litigabat enim ejuſlatu incomparabili cum Deo, & totum ſe vovebat pro Sacrificio.* Et cap. 4. num. 23. *Ecce de Roberti converſatione prædicanda aliquantisper diſputavimus, & licet aliquid videamur, tamen penè nihil diximus, qui quantâ familiaritate apud Deum viguerit, exprimere geſtimus, ſed ſufficienter non poſſumus.* Ex hac autem Roberti cum Deo familiaritate inſignis ipſius innoteſcit ſanctimonia. Ut enim ait ſanctus Chryſoſtomus Lib. 2. de orando Deo. „ * Si qui cum ſapientibus viris colloqui ſolent, pro„ pter aſſiduam conſuetudinem brevî ſic tranſinu„ tantur, ut illorum prudentiam referant: quid con„ venit dicere de his, qui cum Deo colloquia miſcent? „ quantâ ſapientiâ, quantâ virtute, quantâ prudentiâ, „ quantâ bonitate, quantâ ſobrietate, quantâ morum „ æquitate replebit illos precatio & obſecratio. Pro„ inde nequaquam aberraverit à vero, ſi quis affir„ met deprecationem eſſe cauſam omnis virtutis & „ juſtitiæ.

Pietatis B. Roberti & Religionis multiplex teſtimonium dederunt Paſchalis ſecundus hîc. pag. 18. num. 2.

Digitized by Google

num. 2. Lucius ſecundus. pag 21. num. 7. Leodegarius Bituricenſis Archiepiſcopus. pag. 29. num. 7. Marbodus Redonenſis Epiſcopus. pag. 13. B. Petrus Pictavienſis Epiſcopus pag. 39. num. 9. chartâ anno. 1112. datâ. Fulco Junior. pag. 58. 59. chartâ. 839. 840. 844. Aremburgis Andegavenſis Comitiſſa, Fulconis junioris uxor. pag. 59. chartâ. 850. Belotus de Claris-vallibus, & alii pag. 72. chartâ 672. Gaufridus Fulchredus. pag. 77. chartâ 692. Chronicon Malleacenſe. pag. 82. num. 6. Chronicon Abbatiæ ſancti Sergii. pap. 83. num. 7. &c.

Pietas Roberti erga Beatiſſimam Virginem Mariam & ſanctum Ioannem Evangeliſtam.

PERSPICUA eſt ex Chartulârio Abbatiæ de Rotâ. *Dom. Gaufredus, qui cognominatur de Meduana à ſenioribus loci noſtri, ſcilicet dom. Reginaldo Allobroge & filiis ejus, inſuper à Patribus noſtris Roberto ſcilicet de Arbriſſel, & à Quintino exoratus, locum noſtrum cum quadam parte perſonarum Eccleſiæ ſancti Mauricii viſitare dignatus eſt. Benedixit ergo Epiſcopus locum noſtrum, & conſecravit altare ad honorem glorioſiſſimæ Virginis, nec non ſancti Ioannis Evangeliſtæ.* Quod ſummam B. Roberti pietatem oſtendit erga Sanctiſſimam Domini noſtri Matrem, & dilectum ipſius diſcipulum. Conſonat Fr. Andreas cap. 3. num. 11. *Hæc autem erat præterea illius inflexibilis conſuetudo, ut, ubicumque cœnobia Sanctimonialibus ſuis ædificare fecerat, in honorem ſanctæ Mariæ ſemper Virginis ea conſtrueret. Et quia ſanctus Ioannes Evangeliſta, eidem Virgini, præcipiente Chriſto, quo aduſque corporaliter in mundo*

converſata eſt, devotus magiſter diligenter ſervivit, decrevit vir prudens, ut fratrum oratoria in ejus venerationem dedicarentur.

Puriſſima Virgo Maria ſic loquens ab Eccleſia inducitur. [a]. *Beatus qui vigilat ad fores meas quotidie, & obſervat ad poſtes oſtii mei: qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino.* Hinc ſanctus Bernardus Sermone de Nativitate B. Mariæ, *Deus*, inquit, *totius boni plenitudinem poſuit in Maria, ut proinde ſi quid ſpei in nobis eſt, ſi quid gratiæ, ſi quid ſalutis, ab ea noverimus redundare. Totis ergo medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, Mariam veneremur, quia ſic eſt voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam.* Ejuſdem voluntati plurimùm detulit Robertus, qui tantâ fuit in Dei Matrem pietate; nec non in dilectum Chriſti Domini diſcipulum.

Sanctiſſimæ Trinitatis Perſonæ aliquem ex nobis ſuum ſpecialem dilectum renuntiarunt. Pater renuntiavit Chriſtum Dominum. *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Matth. 3. v. 17. Ecce dilectum Patris. Spiritus Sanctus Mariam in dilectam ſponſam elegit. *Sponſa mea, dilecta mea,* Inquit in Canticis Canticorum. Filius autem Dei, homo factus, Joannem dilectum Diſcipulum deſignavit. *Hic eſt Diſcipulus ille, quem diligebat Ieſus.* Quem igitur alium ſibi, alumniſque ſuis Patronum conſtituiſſet Robertus? nonne illos præcipuè Patronos ſeligimus, quos apud Regem gratiâ & autoritate novimus pollere? nonne Rex Regum Chriſtus Dominus? nonne apud ipſum gratioſus Joannes Evangeliſta: *Hic eſt Diſcipulus ille, quem diligebat Ieſus.* Hunc itaque præ omnibus deligendum rectè B. Robertus autumavit.

a. Prov. 8. v. 34.

Solitudinis gaudet ſilentio & pace Robertus.

MANIFESTUM eſt ex Baldrico cap. 2. num. 11. *Dies affuit, quo ad eremum diu concupitam, aſcito ſibi quodam Presbytero, mundo renuntians convolavit: divertit in ſylvam, hominum aſpernatus Collegium, factus contubernalis beſtiarum.* Et cap. 3. num. 16. *Videns autem ſubſequentium multitudinem dilatari, deliberavit perquirere, & ſi quod deſertum contigiſſet, reperire. Locus erat incultus, & ſquallidus, ſpinetis obſitus, & vepribus, ab antiquo Fons-Evraldi nuncupatus, ab hominum cohabitatione ſequeſtratus, à Candatenſi autem Cellâ, quaſi duobus diſtabat milliariis, Diœceſi adjacens Pictavenſi. Sylvulam hanc, ſive dumetum, in quo Dei nova familia, & novus exercitus habitaret, & laboraret, elegit, & dono à quibuſdam poſſeſſoribus accepit.* Ex Fr. Andreâ cap. 3. num. 12. *Contigit autem, ut daretur ei quidam deſertus locus inter Galliam, concedente Ludovico Francorum Rege, qui nunc uſque Alta-brugeria nuncupatur. Deſpiciebat reverâ inter caſtella, vel vicos, conventus ſuæ ſanctæ Religionis habere, nimirùm apertè cognoſcens propoſito ſanctæ Religionis talia nocere.* Ex B. Petro Pictavienſi Epiſcopo chartâ anno 1112. data. Vide pag. 39. num. 9. Mihi itaque videtur exclamaſſe Robertus cum ſancto Baſilio. Tract. de laud. eremi. * O eremus caſtrum " Dei, Turris David, Palæſtra fortiter dimicantium " luctatorum, mors vitiorum, vita virtutum. Per te " Helias novit Domini pertranſeuntis excurſum. Per " te Heliſæus duplicem magiſtri ſortitus eſt ſpiritum. " Tu ſcala illa Jacob, quæ homines vehis ad Cœlum "

„ & Angelos ad humanum deponis auxilium. O vita „ eremitica, balneum animarum, mors criminum, „ Purgatorium ſordidorum. *Addit.* Eremus eſt Para„ diſus deliciarum, ubi ſpirant odoramenta virtutum. „ Ibi ſiquidem Roſæ charitatis igneo rubore flam„ meſcunt; ibi lilia caſtitatis niveo candore can„ deſcunt: cum quibus etiam humilitatis violæ. Ibi „ myrrha mortificationis, non ſolùm carnis, ſed, „ quod glorioſius eſt, propriæ voluntatis exundat; „ & thus aſſiduæ orationis indeſinenter emanat. „ *Et cum ſancto Hieronymo Epiſtolâ primâ ad* „ *Heliodorum.* O deſertum Chriſti floribus ver„ nans! ô ſolitudo, in qua illi naſcuntur lapides, de „ quibus in Apocalypſi civitas Regis magni extrui„ tur? ô eremus familiariùs Deo gaudens! quid agis „ frater in ſæculo, qui major es mundo? quandiu te „ tectorum umbræ premunt? quandiu fumoſarum „ urbium carcer includit?) Ita, inquam Robertus, ſolitudinis amantiſſimus, cum duobus iſtis inſignibus Eccleſiæ Doctoribus exclamaſſe mihi videtur.

Zelus Beati Roberti.

PRIMÒ. Mittitur ab Urbano ſecundo, ſummo Pontifice Robertus. Ex Baldrico cap. 2. num. 14. *Contigit in illis diebus, ut Romanus Pontifex Urbanus ſecundus in Gallias devenerit, & ad Andegavos declinaverit. Audivit de Roberto, accerſiri eum mandavit, ejuſque colloquium deſideranter cupivit. Imperat denique & injungit ei prædicationis Officium: ſecundùm à ſe eum ſtatuit Dei ſeminiverbium: utque ubique diſcurrat, adhortatur ad hujuſmodi ſtudium.* Omni namque virtutum genere excultus erat Robertus, quibus fulgere vult

Digitized by Google

concionatores Apoſtolicos ſanctus Bernardus lib. 4.
de Conſideratione ad Eugenium tertium Pontificem
maximum. * Itaque illos aſſumito, qui legatione “
pro Chriſto fungi, quoties opus erit, nec juſſi re- “
nuant, necnon juſſi affectent: qui Regibus Joan- “
nem exhibeant: Ægyptiis Moyſen, fornicantibus “
Phinees: Heliam idololatris, Eliſæum avaris: Pe- “
trum mentientibus, Paulum blaſphemantibus, ne- “
gotiantibus Chriſtum, qui vulgus non ſpernant, “
ſed doceant: divites non palpent, ſed terreant: “
pauperes non gravent, ſed foveant: minas prin- “
cipum non paveant, ſed contemnant. Qui orandi “
ſtudium gerant, & uſum habeant, ac de omni re “
orationi plus fidant, quàm ſuæ induſtriæ vel la- “
bori. Quorum ingreſſus pacificus, non moleſtus “
exitus ſit. Quorum Sermo ædificatio, quorum vita “
juſtitia, quorum præſentia grata, quorum memo- “
ria in benedictione. Qui ſe amabiles præbeant, “
non verbo ſed opere: reverendos exhibeant, ſed “
actu non faſtu. Qui humiles cum humilibus, & “
cum innocentibus innocentes: duros durè redar- “
guant: malignantes coerceant, reddant retribu- “
tionem ſuperbis. Qui ad te redeant fatigati qui- “
dem, ſed non ſuffarcinati: ſimul & glorіantes, “
non quod curioſa ſeu pretioſa quæque terrarum “
attulerint: ſed quod reliquerint pacem Regnis, “
legem Barbaris, quietem Monaſteriis, Eccleſiis “
ordinem, Clericis diſciplinam; Deo populum ac- “
ceptabilem, ſectatorem bonorum operum. “

Secundò cœpit facere, & docere. Ex Baldrico Petronillam primam Fontis-Ebraldi Abbatiſſam alloquente prologo vitæ B. Roberti num. 1. *Ad Fontem-Ebraldi veniſti: ubi Fontem uberem, fontem prædicationis, fontèm Religionis inveniſti, & hauſiſti: Dominum videlicet Robertum, noſtris*

Digitized by Google

temporibus ſingularem ſeminiverbium, Doctorem *illuſtrem & eximium, verbis & operibus admirandum, virum extollendum, & imitandum.* Et cap. 2. num. 15. *Honorabatur ab omnibus, quoniam & honorandus erat, nam & gratia Dei evidenter cum illo ambulabat. Nec erat ſermo illius ſterilis, nec otioſus, quem commendabat laudabilis & verborum & operum comitatus. Quod prædicabat, complebat operibus, ne fortè cum aliis prædicaret, nec operaretur, ipſe ſtatim reprobus haberetur.* Hoc olim Iſaiæ Deus impoſuit præceptum. *Clama, ne ceſſes: quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo ſcelera eorum, & Domui Iacob peccata eorum.* cap. 58. v. 1. Ubi non cujuſlibet inſtrumenti vocem, ſed tubæ ſolùm à verbi Divini præcone exigit Deus. Cur ita? quia tuba ore manibuſque pulſatur. Organum, Lyra, & alia hujuſmodi Inſtrumenta Muſica, manus tantummodò poſtulant, Chorus verò canentium os ſolùm requirit: at tuba & os & manus ſimul deſiderat: & in hoc ſitum eſt concionatorum & auditorum, ſuperiorum & inferiorum non mediocre diſcrimen. Inferior enim & auditor, ſicut Organum & Lyra, manibus duntaxat indigent: at Concionator & Superior, quemadmodùm tuba, manibus & ore ſimul debet inſonare. Sic Robertus, *quem commendabat laudabilis & verborum & operum comitatus.* Sic Robertus, qui, *quod prædicabat, complebat operibus.* Sic Robertus *verbis & operibus admirandus.*

Tertiò. Quaſlibet Galliæ Provincias concionando perluſtrat. Ex Baldrico. cap. 2. num. 15. *Hinc ex tunc ſummi Pontificis Legationi curioſus cœpit inſiſtere, & finitimorum Epiſcopatuum regiones perambulare.* Et cap. 4. num. 21. *Dominus verò Robertus, numquam vel à prædicatione, vel ab oratione qui-*

buſlibet occaſiunculis avulſus eſt, ſed ſtrenuitati totus deditus, finitimas & longinquas circumcurſabat regiones. Ex Manuſcrip. Abbatiæ de Vallibus-Cernaii. *Nudipes per plateas & vicos ire conſueverat Robertus de Arbriſſello, ut fornicarias ac peccatrices ad medicamentum pœnitentiæ poſſet adducere.* Nempe egregium illud legerat ſancti Chryſoſtomi documentum. Oratione 6. vel 5. adversùs Judæos. tom. 1. vel 5. * Propterea Chriſtianus es, & ideo hoc nomen accepiſti, ut Chriſtum imiteris, ejuſque legibus, operum exhibitionibus pareas. Quid autem ille fecit? non Jeroſolymis deſidens, vocavit ad ſe ægrotos, ſed obambulabat civitates, ac vicos, geminos curans morbos, tum animi, tum corporis. Attamen poterat in eodem loco ſedens, omnes ad ſe attrahere, non tamen hoc fecit, nobis exemplum præbens, ut quæramus eos, qui pereunt. Rursùm hoc parabolâ de paſtore ſignificavit; non enim remanſit cum nonaginta ovibus, expectans, donec quæ aberraverat, veniret ad ipſum, ſed abiit ipſe, & invenit eam, humeriſque geſtavit ac reduxit. An non vides medicos quoque hoc facere? non cogunt ægrotos lecto decumbentes ad ipſorum ædes deferri, ſed ipſi accurrunt ad eos. Hoc & tu fac, dilecte, ſciens hanc præſentem vitam brevem eſſe, quodque, niſi lucra hîc paraverimus, nullam illic ſimus habituri ſalutem. Cogita quamobrem Propheta, & Apoſtolus, & juſti, & quamobrem Angeli frequenter miſſi ſunt, & quapropter ipſe primogenitus filius, ac verbum Dei advenit; annon ut homines ſervaret? annon ut eos reduceret errantes?) Cujus ſanè exemplo ductus eſt perpetuò Robertus, qui Abbatiâ de Rotâ, & rebus omnibus dimiſſis, urbes, caſtella, Galliæque Provincias toto vitæ ſuæ curriculo percucurrit, homines à pravitate

vitæ revocaturus, excitaturus ad virtutes, atque ad amorem Dei inflammaturus. Vide citata pag. 95. de ipſius erga peccatores amore teſtimonia.

Perſeverantia B. Roberti.

PRIMUM de perſeverantia B. Roberti teſtimonium colligitur Ex Fr. Andreâ cap. 1. num. 2. *Imprimis autem dicendum eſt, quare Robertus ſit vocatus: non enim ſine divinâ diſpenſatione tale ſortitus eſt nomen. Dictus namque Robertus, quaſi roboratus, vel robore certus. Re enim verâ roboratus erat, quia hunc nimirum Spiritus Sanctus ad benè ſemper agendum roborabat. Certus etiam robore fuit, & in ſancta Religione ad finem uſque perſeveravit.* Succinit egregiè Baldricus cap. 4. num. 25. *Tempora ſucceſſêre temporibus, nec unquam à pacto, quod cum Deo pepigerat, refrixit Robertus, ſemper in amore Dei fervidior, ſemper recens, ſemper devotior.* Roberto inſcripta hæc mihi verba videntur Proverb. 4. v. 11. *Ducam te per ſemitas æquitatis, quas cum ingreſſus fueris, non arctabuntur greſſus tui, currens non habebis offendiculum.*

Secundum teſtimonium eruitur ex eodem capite. num. 3. *Hic itaque Robertus jam plurimos annos indefeſſus prædicator, non ſolùm adjacentibus, verùm etiam exteris Nationibus verba Dei diſtribuerat; cum ingraveſcente corporis ejus infirmitate, aliiſque ægritudinibus priſtinis, cœpit repentè deſtitui viribus.* Aggregandus certè in eorum numerum, de quibus Chriſtus Dominus Luc. 12. v. 37. *Beati ſervi illi, quos, cum venerit Dominus, invenerit vigilantes. Amen dico vobis quod præcin-*

Digitized by Google

get ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis. Quem locum ſic explanat venerabilis Beda in caput Lucæ 12. † Præcingit ſe Chriſtus in Cœlo, id eſt ad retributionem ſe præparat. Facit illos diſcumbere, id eſt, in æterna requie refoveri: diſcumbere quippe noſtrum in Cœlo, requieſcere eſt. Unde rurſum Dominus dicit: venient & recumbent cum Abraham, & Iſaac, & Jacob. Tranſiens autem Dominus miniſtrat, quia ab humanitatis forma in Divinitatis ſuæ contemplationem nos elevat. "

Tranſitus. Beati Roberti.

B. Robertus in lethalem morbum delapſus, Pœnitentiæ & Euchariſtiæ Sacramenta ſuſcipit.

BITURICENSEM Provinciam dùm verbo Dei illuſtraret Robertus, in mortiferum morbum incidit. Urſanum delatus, Sacrum petiit viaticum; quod priuſquam ſuſciperet, acerbiſſimè doluit de peccatis, & Sacramentali Confeſſione eadem expiavit. † [a]. Aliâ autem die, ſecundâ ſcilicet feriâ, " rogavit ſibi dari viaticum Corporis & Sanguinis " Domini Noſtri Jeſu Chriſti; quia enim longiùs " profecturum ſe eſſe prævidebat, idcirco ſaluberrimum illud viaticum humillimâ devotione ſibi dari " poſcebat, ſine quo viator quilibet errabundus omninò deviat. Allato autem ad eum corpore Dominico, cœpit cum internis gemitibus, atque profundis ſuſpiriis gratuitam miſericordiam ab eo petere, ſeque inutilem ſervum dicere, & in cunctis " operibus ſuis ſe accuſare. Verùm ſciebat prudens " lector, quòd Deus ita mandaverat: cùm omnia, "

a. Fr. Andreas cap. 5. num. 27.

Digitized by Google

„ inquit, quæ præcepta ſunt vobis, feceritis ; dicite:
„ ſervi inutiles ſumus, &c. Illum quippe juſtum imi-
„ tabatur, qui, cùm perfectus eſſet, omnia opera
„ ſua vereri ſe fatebatur. Et ut omnia verba ejus di-
„ cam epilogando, ſe ſervum inutilem fuiſſe per
„ omnia plangebat ejulando. Poſtquam autem innu-
„ merabiliter ſe ipſum accuſavit, acceptâ pœnitentiâ,
„ nihil de propriis meritis præſumens, ſed miſeri-
„ cordiam aſſiduè deprecando, dominicum corpus
„ accepit. Audiant hîc, qui corpus dominicum ad
„ damnationem ſuam indiſcretè accipere audent : ut
„ vel ſua peccata per ſanctam pœnitentiam, dum li-
„ cet, deleant, vel certè, ſi noluerint, tam admi-
„ rabile Sacramentum indignè ſuſcipere vereantur.
„ Apertè enim clamat Apoſtolus, quia, qui mandu-
„ cat & bibit indignè &c. Si enim tantus ac talis
„ vir, tam timidè Sacro-Sanctum Corpus Domini-
„ cum accepit, multò magis nos peccatores tre-
„ mebundi ac flebiles accedere debemus : qui, etiam
„ ſi multùm profecerimus, finem noſtrum ejus pre-
„ tio coæquare non audemus.

Ex quibus liquet Robertum, Doctorem Pariſienſem, illis non aſſenſum fuiſſe Theologis, qui docuerunt Confeſſionem ſoli Deo factam, ad obtinendam peccatorum remiſſionem ſufficere. Eorum meminit Petrus Lombardus, Pariſienſis Epiſcopus, Magiſter ſententiarum vulgò nuncupatus, lib. 4. diſt. 17. Propoſitâ enim hac quæſtione, *Vtrum ſufficiat peccata confiteri ſoli Deo, an oporteat confiteri Sacerdoti?* Statim ſubjicit. *Quibuſdam viſum eſt ſufficere, ſi ſoli Deo fiat Confeſſio ſine judicio Sacerdotali, & Confeſſione Eccleſiæ.* Meminit & Gratianus diſt. 1. de Pœnitentiâ, ubi huic quæſtioni, *utrum ſolâ cordis contritione, & ſecretâ ſatisfactione abſque oris Confeſſione, quiſquam poſſit ſatisfacere* : Sic

reſpondet. *Sunt enim, qui dicunt, quemlibet criminis veniam ſine Confeſſione Eccleſiæ, & Sacertali judicio poſſe promereri.* Liquet, inquam, Robertum prædictis Doctoribus non fuiſſe aſſenſum: ſi enim peccata venialia, quibus duntaxat (ut potè *ſanctiſſimus & religioſiſſimus* ex ſuis coætaneis) obſtrictus erat, Sacerdoti aperuit; quantò magis mortifera peccata cenſuit aperienda? id ejus eximiæ doctrinæ ſummâ ſanctimoniâ nixæ adſcribendum.

Nec refert quòd, ut ſcribit Andreas num. 28. *Nullus prædo, nullus ſic ſe accuſavit latro.* Nemo enim neſcit ſolemne ſanctis eſſe, ut ſe iniquorum omnium iniquiſſimos exiſtiment, maximâ quâ præſtant humilitate, eos in iſtam de ſeipſis opinionem adducente. Unum in præſenti edo ſanctum Franciſcum, de quo D. Bonaventura Cardinalis, & Epiſcopus Albanenſis, in vita ipſius ſexto capitulo ſic habet. † Et quoniam humilitatem tam in ſe, quàm " in ſubditis, cunctis præferebat honoribus, amator " hominum Deus altioribus ipſum dignum judica- " bat faſtigiis, ſecundùm quòd uni fratri, viro vir- " tutis & devotionis præcipuæ, viſio cœlitùs oſtenſa " monſtravit. Cum enim eſſet in comitatu viri Dei, " & unâ cum ipſo in quadam Eccleſiâ deſertâ ferven- " ti oraret affectu, in extaſi factus, vidit inter mul- " tas in Cœlo ſedes unam præ cæteris digniorem, " pretioſis ornatam lapidibus, & omni gloriâ reful- " gentem. Miratus intra ſe præcelſi refulgentiam " throni, anxiâ cœpit cogitatione perquirere, " quis ad illum deberet aſſumi? Audivit inter hæc " vocem dicentem ſibi: ſedes iſta unius de ruentibus " fuit, & nunc humili ſervatur Franciſco. Reverſus " demùm frater ad ſe ab orationis exceſſu, virum " beatum exterius prodeuntem ſolito fuit more ſe- " quutus. Cumque incedentes per viam de Deo invi- " cem loquerentur, frater ille viſionis ſuæ non im- "

Digitized by Google

„ memor, ſolerter ab eo quæſivit, quid de ſeipſo „ ſentiret. Ad quem humiliter Chriſti ſervus: VIDEOR, ait, MIHI MAXIMUS PECCATORUM. „ Cui cum frater diceret ex adverſo, quòd hoc non „ poſſet ſanâ conſcientiâ dicere, nec ſentire, ſubjunxit: ſi quantumcunque ſceleratum hominem „ tantâ fuiſſet Chriſtus miſericordiâ proſequutus, „ arbitror ſanè, quòd multò quàm ego, Deo gratior eſſet. Confirmatus fuit frater, ex tam admirabilis humilitatis auditu, de veritate viſionis oſtenſæ, Evangelio ſacro teſtante cognoſcens, quòd „ ad excellentiam gloriæ de quâ ſuperbus ejicitur, „ verè humilis exaltetur.

B. Robertus, morbo ingraveſcente, Sacro ad luctam ultimam Oleo inungitur.

PERSPICIENS morbum vehementiùs ingraveſcere Robertus, Sacramentum Extremæ-unctionis ſibi adminiſtrari religioſiſſimè poſtulavit. Unctus ſalutifero Oleo, iterùm Sacro Dominici Corporis epulo refectus eſt: nec duobus his duntaxat diebus, ſed etiam omnibus, quibus morbo iſto graviſſimo laboravit. [a] † Prætereunte autem ſecunda feriâ, quia „ non dubitabat vir bonus exitum ſuum propinquum „ eſſe, voluit omnia ſanctæ Eccleſiæ Sacramenta, utpote Chriſtianiſſimus, in ſe ſuſcipere. Petiit ergo „ devotè tertiâ feriâ, ut benedicto Oleo ungeretur; „ credens profecto Apoſtoli Jacobi verbis, quod „ ſcilicet per hujus operationem myſterii peccata „ hominibus dimittuntur. Unctus autem ſalutifero „ unguento, iterùm munivit ſeſe, non ſine interno „ gemitu, Corpore Dominico: nec tantummodò „ his duobus diebus Euchariſtiâ Chriſti ſemet muni-

a. Fr. Andreas cap. 5. num. 28.

vit, ſed etiam omnibus diebus, quibus in ipsâ in- "
firmitate jacuit. Sed quis poterit narrare qualiter, "
vel quibus modis ante Corpus Domini ſe ſemper "
ſtuduit accuſare? fatentur illi, qui ibi eſſe merue- "
runt, quia an unquam ante Corpus Dominicum "
ſe plus accuſaverit, omninò neſciunt. Nullus eſt, "
nullus enim prædo, nullus denique ſic ſe accuſa- "
bat latro: cùm enim ſcriptum ſit, juſtus imprimis "
accuſator eſt ſui; patet profectò, quòd ipſe juſtus "
fuerit, qui, quamvis ſingulari converſatione vixiſ- "
ſet, tamen ſe tam multipliciter accuſavit. *Et cap.* 7. "
num. 41. Peccatorum ſuorum confeſſionem publi- "
cè manifeſtavit dicens: audi, Preſbyter peccata "
mea, quin etiam audite Cœli & terra. Filius Dei "
venit in mundum peccatores ſalvos facere, quorum "
primus ego ſum. Ecce in iniquitatibus conceptus "
ſum, & in peccatis enutritus, innumerabilibus mo- "
dis meâ culpâ peccavi. Tunc confitebatur coram "
omnibus ſe reprehendendo, quòd dùm eſſet pue- "
rulus, & comederet cum Matre, pulchriores cibos "
accipiebat: & dùm plueret, ipſe ſiccitatem deſi- "
derabat, & è contrario: referebat ſe etiam arguen- "
do, quòd dum eſſet adhuc ſecularis, in ordinatio- "
ne cujuſdam Redonenſis Epiſcopi, in venenum ſi- "
moniæ ſemel inciderit. " *Nota autem.*

1°. *Petiit ergo devotè tertiâ feriâ, ut benedi-
cto Oleo ungeretur.* Ad mentem ſanè ſancti Jacobi ſcribentis cap. 5. v. 14. *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum Oleo in nomine Domini. Et oratio fidei ſalvabit infirmum.* Salvabit à peccatis, ſalvabit à dæmonum inſultibus, ſalvabit à carnis & mundi tentationibus. Nam ad animæ infirmæ, languidæ, & diabolicis oppugnationibus undique vexatæ corroborandam debilitatem hoc ſacramentum inſtituit Chriſtus Dominus, ut expreſſiſſimis verbis Tridentinum conci-

Digitized by Google

lium obſervavit. Poſtquam enim præmiſit, ſeſſ. 14.
„ * Quod Clementiſſimus redemptor noſter, qui
„ ſervis ſuis quovis tempore voluit de ſalutaribus re-
„ mediis, adversùs omnia omnium hoſtium tela
„ eſſe proſpectum; quemadmodum auxilia maxima
„ in Sacramentis aliis præparavit, quibus Chriſtiani
„ conſervare ſe integros, dùm viverent, ab omni
„ graviore ſpiritûs incommodo poſſint; ita Extremæ-
„ unctionis Sacramento, finem vitæ tanquam fir-
„ miſſimo quodam præſidio munivit. *Subdit.* Nam
„ etſi adverſarius noſter occaſiones per omnem vi-
„ tam quærit & captat, ut devorare animas noſtras
„ quoquo modo poſſit, nullum tamen tempus eſt,
„ quo vehementiùs omnes verſutiæ ſuæ nervos in-
„ tendat, ad perdendos nos penitùs, & à fiducia
„ etiam, ſi poſſit, divinæ miſericordiæ deturbandos,
„ quàm cùm impendere nobis exitum vitæ perſpicit.]
Quod certè B. Roberto morienti contigit, cui hor-
renda dæmonum turba apparuit, objiciens ipſum
non ſecùs ac belluam eſſe moriturum; quam tamen,
ut infrà dicemus, ſigno ſanctæ Crucis fugavit.

2°. *Nec tantummodò his duobus, Euchariſtiâ Chriſti ſemet munivit, ſed etiam omnibus diebus, quibus in infirmitate jacuit.* Et cur quotidie Euchariſtiam nòn ſumpſiſſet Robertus, quam panem quotidianum Dominus appellavit? Non enim docuit nos orare, panem noſtrum annualem da nobis hoc anno: Non, panem noſtrum Paſchalem da nobis in Paſchate: ſed, *panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* Hinc S. Auguſtinus ſerm. 28. de verb. Domini. *Si quotidianus eſt panis, cur poſt annum illum ſumas? accipe quotidie, quod proſit tibi quotidie: ſic vive, ut merearis quotidie accipere. Qui non meretur quotidie accipere, non meretur poſt annum accipere.* Aliâ etiam de causâ Cœleſtibus epulis quotidie refi-

ciendus erat B. Robertus. Hæreditate parentum gaudere ſolent filii, non quidem ſtatim, ſed poſt ipſorum mortem parentum; at pane & cibo neceſſario quotidie reficiuntur. Beatus autem Robertus filius erat Dei in omnibus ei obſequentiſſimus: hæreditate ergo Dei patris, non quidem in hac vitâ, ſed poſt ſuummet obitum donandus erat, juxta illud Pſalm. 126. v. 3. ***Cum dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce hæreditas Domini, filii merces.*** Interim vero pane Euchariſtico, non raro, non frequenter, ſed quotidie pro more primitivæ Eccleſiæ alendus.

3°. ***Referebat etiam ſe arguendo, quòd dùm eſſet adhuc ſæcularis, in ordinatione cujuſdam Redonenſis Epiſcopi, in venenum ſimoniæ ſemel inciderit.*** An Robertus aliquando ſimoniacus? reſpondent R. P. Bollandus & Henſchenius S. J. tom. 5. vitæ Sanctorum pag. 616. col. 2. litt. C. * Hoc peccatum ejuſdem generis videtur, cujus prædicta duo: " quod ***puerulus pulchriores cibos ſibi appoſitos comederit.*** Quodque ***Dùm plueret, ſiccitatem deſideràrit.*** In quibus non facilè culpam deprehendere queas. Nempe bonarum mentium eſt, ibi quoque culpam agnoſcere, ubi culpa non eſt. Ita referebat B. Robertus ***ſe in venenum ſimoniæ ſemel incidiſſe, in ordinatione cujuſdam Redonenſis Epiſcopi.*** Theophilus vero Raynaudus lib. cit. p. 55. Sic diſcurrit. † Quæ hæc fuiſſet culpa ægrè conjicitur, quod tamen eodem loco referatur, Robertum ſe gravaſſe quibuſdam aliis, quæ vel peccata non erant, vel adeò minuta, ut oculos non linceos effugerent, quippe atomi aut feſtucæ duntaxat culparum, non tigna, vel trabes ſcelerum, conjectura eſt, Robertum pro more bonarum mentium notato à ſancto Gregorio, agnoviſſe labem ſimoniæ, ubi revera non erat; vel adeo te-

Digitized by Google

nuis inerat, ut pro nullâ haberi poſſet. ") Ubi uterque non culpam, ſed umbram vel feſtucam culpæ ad ſummum agnoſcit.

Illud verò me cogit in eorum ire ſententiam, quod ævo Roberti tres Antiſtites ad Redonenſis Eccleſiæ gubernacula ſederint, Mainus ſive Maino, Silveſter, & Marbodus, in quorum ordinatione Robertus ſimoniæ reus eſſe nequivit. Non in ordinatione Mainonis, qui 11. aut 12. annis ante ipſum natum traditur Redonenſem cathedram adeptus; ſucceſſit enim Vvarino tertio defuncto: anno 1036. Robertus verò è ſinu matris eductus eſt circiter annum 1047.

Neque etiam vir Dei potuit in Silveſtri electione ſimoniacâ labe inquinari; cum abeſſet tunc, & Lutetiæ commoraretur, huic Epiſcopo planè ignotus, ut Baldricus notat cap. 1. num. 8. *Vrbs interea Redonis ſuo deſtituta patrono, ad Deum reconverſa, præmiſſis precibus, Silveſtrum quemdam elegit in Epiſcopum: qui licet non multùm litteratus, litteratos tamen convocabat aliunde, ſi quos poterat. Relatum eſt ſciſcitanti de Roberto, & de ejus ſeveritate & ſtudio, & dixerunt: de quo loquimur, Robertus, Domine, tuus naturalis eſt; nam & Redonenſis eſt, corpore vegetus, & morum honeſtate compoſitus. Evectione præparatâ venerandus Pontifex dirigit Pariſius, & accerſitum taliter alloquitur. Eſto igitur, quæſo, in reſponſis Eccleſiaſticis noſter interpres.* Sub hoc Pontifice Archipreſbyteri munere functus, ad evellendam in Redonenſi Epiſcopatu ſimoniam omni ſtudio contendit, prælaudato teſte Baldrico num. 9. *Quatuor igitur annis apud Epiſcopum ita demoratus Archipresbyter, pacem inter diſcordes reformando, Eccleſias ab infami laicorum ancillatu liberando, inceſtas Sacerdotum & laicorum copulationes dirimendo,*

ſimoniam

Digitized by Google

ſimoniam penitùs abhorrebat, omnibuſque vitiis viriliter reſiſtebat.

Nec tandem ſanctus quivit Fundator ſimoniaco ſe obſtringere flagitio in Marbodi electione, cui pariter non interfuit. Mortuo namque Silveſtro, Andegavum conceſſit, ſacram ibi Theologiam profeſſurus. *Elapſo bis biennio*, inquit Baldricus num. 10. *Reverendus Pontifex gravi corporis tactus moleſtiâ hominem exuit: & Robertus inter orphanos orphanus ſolus remanſit: ſolus, inquam, quia probis ejus actibus ipſi fratres* (Canonici Redonenſes) *invidebant. Venit igitur Andegavum, ibique ſcholaribus incubuit ſtudiis.* Deinde, cum Silveſtri tempore, Robertus toto pěctore incubuerit, ut ſimoniam ſtirpitùs extraheret, quis credat, ubi Marbodus præſul electus eſt, ipſum ſeſe hujuſmodi polluere delicto potuiſſe? Itaque ſimoniaca culpa, in quam incidiſſe ſe dixit ad mortis anguſtias redactùs, non tam culpa eſt, quàm umbra vel feſtuca culpæ, ejuſdem ſcilicet generis, cujus prædicta duo: quòd *puerulus pulchriores cibos ſumpſerit ſibi appoſitos*, quodque, *dum plueret, expetierit ſiccitatem.*

Cæterùm non in Redonenſi ſolummodò, ſed & in Carnotenſi etiam Diœceſi ſimoniam funditùs delevit, ut refert Andreas cap. 3. num. 16. his verbis. † Quæ verò, vel quanta beneficia ſæpè dictæ civitati in illis diebus per ſervum ſuum dignatus ſit Dominus præſtare, meæ non eſt poſſibilitatis indagare. Hoc autem referre juvat; quia SIMONIACA HÆRESIS, quæ Carnotenſem Canonicorum Baſilicam diutiſſimè fœdaverat, concedente Gaufrido Epiſcopo, cuius vita noſtrâ quoque ætate ſuaviſſimè redolet, atque concedentibus à majore uſque ad minimum ejuſdem cœnobii Canonicis, IN PERPETUA DAMNATIONE PER

„ Robertum nostrum extincta est.
„ Et ut hæc peſtis execrabilis in eadem Eccleſia in ſempiternum omninò damnaretur, votum, quod fecerunt, juramento firmaverunt. “) *Hæc eſt autem juramenti formula, cujus autographum in Eccleſiæ Carnotenſis tabulario aſſervatur.* † Ego *N.* Canonizandus in Eccleſiâ Carnotenſi, juro ſuper illas ſanctas Reliquias, quod pro iſtâ præbendâ, cujus inveſtituram expecto, non dedi, nec promiſi, nec alius pro me dedit & promiſit, me ſciente, aurum vel argentum, vel pecuniam aliquam, vel aliud, quod per pecuniam aliquam debeat aut valeat comparari: & ſi promiſſum fuerit, per me non ſolvetur. „ *Quis jam Robertum dixerit ſimoniacum?*

B. Robertus à magnâ dæmonum catervâ tentatur.

Alumnis ſuis Deo commendatis, omnes ad veſperam dimiſit Robertus. Impendente media nocte, horrenda dæmonum turba ei obverſata eſt, obtrudens ipſum non ſecùs ac belluam moriturum, quam ſigno S. Crucis in fugam conjecit. Reverſis paulòpoſt juvenibus lamentantibus, ac virginibus indicavit, etſi celerem ex hac vitâ diſceſſum à Deo efflagitaſſet, ſe tamen, pro illis ſufferre quæcumque ac pati, ſi expediret, vehementer deſiderare. Ita autor anonymus, cujus illuſtris Andreas Quercetanus, Hiſtoricus Regius meminit. † Poſtquam filios ſuos „ & filias Deo commendavit, accipiendo Sacram „ Euchariſtiam, vitâ adhuc durante, & adveſperante die juſſit omnes recedere ad quieſcendum: „ imminente autem mediâ nocte, cæteris dormien-

tibus, ipſe autem vigilans exclamare cœpit. Væ " tibi turba impia? quid hic ſtas? recede hinc, im- " perat tibi Dominus: quam omnem repulit ſigno " ſanctæ Crucis: & dixit turbam hanc dæmonum " tentaſſe eum ut bellua moriturus eſſet, ſed ſperare " ſe mori, ſicut decet virum Chriſtianum. Et rogato " Alardo, & commendato ſuo corpore Petronillæ, " ut illud apud Fontem-Ebraldi humaret; videns flen- " tes juxta ſe juvenes, & virgines gementes; ipſe ani- " mo gemere cœpit & verbis eas demulcere, dicens " ſe rogaſſe Deum, ut dies ejus breviaret: ſi eſſet ne- " ceſſarium, & ei placeret, cuperet eas nutrire & do- " cere, & pro illis ſufferre quæcumque ac pati; & " exhortatis illis omnibus ad progreſſum in virtutibus, commendavit illis animam ſuam. ") *Vbi tria ponderanda.*

1°. *Imminente autem media nocte, exclamare cœpit: væ tibi turba impia! quid hic ſtas?* In periculoſo ſtatu, non tam corporis, propter mortis formidinem, quam animæ, propter damnationis timorem verſatur moribundus, dæmone nimirùm totis viribus contendente, ut ei ruinam afferat, & æternam damnationem. * Quis terror, (*Inquit S. Cyrillus Alexandrinus oratione de exitu animæ,*) quod certamen, quis tremor, quæ vis ani- " mam manet à corpore ſecedentem? Rectores te- " nebrarum, nequitiæ Domini, actionum calcula- " tores in aëre agentes nos adeunt: necnon princeps " impietatis diabolus inſidiatur tanquam leo in ſpe- " lunca ſuâ, draco magnus, apoſtata, orcus os " ſuum expandens, & ut vindex ſupputans actus meos. " Exinde quanta formidine, quanto tremore arbi- " traris animam die illâ percelli, horribiles, atroces, " & impios dæmones intuentem, æque ac Æthiopes " caliginoſos undequaque aſtantes? quos aſpiciens "

„ anima ſubſultat, conturbatur, affligitur, exterretur, „ contrahitur; Ita ut forma ipſa quovis tormento ſit „ gravior. *Aſtipulatur S. Gregorius Homil. 39. ſuper* „ *Evangelia, eumdem animæ ſtatum adumbrans.* „ * Cogitandum eſt valdè, *inquit*, quantùm nobis „ terribilis erit hora noſtræ reſolutionis; qui pavor „ mentis, quanta omnium malorum memoria, quæ „ oblivio tranſactæ fœlicitatis, quæ formido judicis! „ tunc maligni ſpiritus, egrediente animâ, ſua opera „ requirunt, tunc mala quæ ſuaſerunt replicant, ut „ ſociam ad tormenta trahant: ſed cur hoc de per- „ versâ ſolummodo animâ dicimus, cum ad electos „ quoque veniant, & ſuum in illis, ſi prævaleant, „ aliquid requirant. „) *Rationem affert 2. Moral.* „ *32. ubi inquirens, cur Dominus permiſerit ſan-* „ *ctum virum Iob à dæmone oppugnari, ſic reſ-* „ *pondet.* * In tantùm Deus contra bonorum corda „ ſævire permittit, inquantum neceſſe eſt, ut ten- „ tationibus erudita ſolidentur, ne ea quæ agunt „ bona, ſuis viribus tribuant, ne in ſecuritatis tor- „ pore ſe deſerant, & à timoris accinctione diſſol- „ vant, ſed ad profectûs ſui cuſtodiam tantò ſoler- „ tiùs invigilent, quantò ſe contra adverſarium ſta- „ re ſemper in acie tentationum vident.) Minimè itaque mirum debet videri, quòd horrifica dæmo- num turma Roberto occurrerit tentans, vexans eum, & objectans perinde ut belluam moriturum.

2°. *Recede hinc, imperat tibi Dominus: quam omnem repulit ſigno ſanctæ Crucis.* Crucem dete- ſtantur, fugiunt, execrantur dæmones. Hinc ad eos Eccleſia. *Ecce Crucem Domini, fugite partes ad- verſæ.* Hac etiam de causâ nos ipſos Cruce ſignan- tes, dicimus. *Per ſignum Crucis, de inimicis no- ſtris, libera nos Deus noſter.* At cur? an quia in Crucem aſcendit Chriſtus Dominus? etenim & in

jumentum aſcendit, à quo tamen non abhorrent. *Non in aſino*, (Inquit ſanctus Athanaſius lib. quæſtionum ad Antiochum, quæſt. 40.) *Diabolum ac dæmones reliquos Chriſtus vicit, neque in aſino ſalutem nobis operatus eſt : ſed in Cruce. Hinc fit, ut dæmones cum aſinos vident, nec tremant, nec horreant ; at Crucem intuentes, perſæpe tremunt horrentque, ſternuntur ac fugantur.* Sicut itaque canis, intuens baculum, quo vulneratus eſt, metuit & aufugit, à nemine licet percuſſus ; ſic & dæmon, conſpectâ quâ devictus fuit Cruce, in fugam ſeſe confert. Adde, quemadmodum Chriſtum horret Crucifixum, ita etiam Chriſtianos Crucifixos refugere ; in quorum numero habendus erat Robertus, qui carnem ſuam cum vitiis indeſinenter Crucifigere ſtuduerat.

3°. *Dicens ſe rogaſſe Deum, ut dies ejus breviaret : ſi eſſet neceſſarium, & ei placeret, cuperet eas nutrire, & docere, & pro illis ſufferre quæcumque ac pati.* Sancti enim vehementer exoptant, non in hac vitâ diu commorari, & mundi frui proſperitatibus, ſed Deo in Cœlis potiri. Sic David. Pſal. 119. *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt, habitavi cum habitantibus Cedar, multùm incola fuit anima mea. Heu mihi*, interjectio gementis eſt ; cur verò gemit Rex Propheta ? num quia perſequitur eum Saül ? num quia Abſalon filius ſuus rebellavit ? num quia infirmâ affectus eſt valetudine ? nequaquam ſanè, ſed *quia incolatus meus prolongatus eſt.* Sic etiam Paulus Apoſtolus ad Philip. 1. v 23. *Coarctor è duobus, deſiderium habens diſſolui, & eſſe cum Chriſto, multò magis melius : permanere autem in carne neceſſarium propter vos.* Vides quanto moriendi deſiderio flagraverit Doctor gentium, ut quamvis vitam ſuam

Digitized by Google

mundo noſſet magnopere neceſſariam, & ad animarum ſalutem ac converſionem multùm conducere, ob mortis tamen deſiderium, angi ſe aſſereret & coarctari acerbiſſimè. Ad illum quàm proximè acceſſit Robertus; qui ſummo moriendi, ut eſſet cum Chriſto; & vivendi, ut alumnos ſuos erudiret, & pro illis tolerare quæcumque & perpeti poſſet, deſiderio tenebatur.

Beatus Robertus ſanctiſſimâ coram Cruce profitetur.

FUGATA Impiâ dæmonum turbâ, Andream Sacerdotem beatus accerſivit Robertus, cui, ſanctæ Crucis ut lignum afferret, præcepit. Coram eâ præcipuos fidei articulos teſtatus eſt ſe firmiter & explicitè credere. † [a]. Poſtquam autem pro cuncto
„ populo Chriſtiano orationes ad Dominum diutiſſi-
„ mè fudiſſet, cùm jam ab eo penè omnes receſſiſ-
„ ſent, intempeſtæ noctis ſilentio, Petrum quem-
„ dam fratrem laicum, qui cum eo aſſiduè erat, ad
„ ſe vocavit, & ait illi: voca ad me Andream Sa-
„ cerdotem. Veniente autem Andreâ dixit illi: affer
„ mihi, obſecro, lignum ſanctæ Crucis. Allatâ autem
„ ſancta Cruce, de ſtratis ſuis virtute, quâ potuit, læ-
„ tabundus exilivit, & ante Crucem cum magnâ re-
„ verentiâ genua ſua flexit; & quid in ſe de Deo ſen-
„ tiret, circumſtantibus aperuit. Tunc confitebatur ſe
„ credere, quod Deus omnipotens unus in trinitate,
„ & trinus in unitate ipſum Cœlum, & terram, &
„ omnia quæ in eis ſunt, imperio voluntatis ſuæ fe-
„ cerit. Confitebatur etiam quod Luciferum, qui ma-
„ nè oriebatur, qui eſt principium viarum Dei, ha-
„ bentem ſignaculum ſimilitudinis Dei, plenum ſa-

a. Fr. Andreas cap. 7. num. 38.

Digitized by Google

pientiâ, & decore, omni lapide pretioſo ornatum, “
in Paradiſo Deus collocaverit. Referebat etiam ſe “
credere, qualiter ille, nullo ſuadente, per ſuper- “
biam ſuam ſpontè ceciderit: & qualiter ad reſtau- “
rationem ejus, Deus hominem è limo terræ ad “
imaginem & ſimilitudinem ſuam mirabiliter con- “
diderit. Memorabat quomodo per invidiam diaboli “
in orbem terrarum mors introierit; vel quomodo “
fraudulentus hoſtis hominem de paradiſo expulerit. “
Revocabat etiam ad memoriam, quantas cæcitatis “
tenebras, quantaſque miſerias humanum genus “
uſque ad mundi finem ſuſtineat, pro eo quòd pri- “
mus homo Dominicum præceptum præteriit. His “
etiam addebat, quemadmodum humanum genus, “
exigentibus ſuis peccatis, aquis diluvii perierit, & “
quemadmodum Deus octo animas in Arcâ Noë “
ſalvaverit. His adjungebat, quàm gloriosè Deus fi- “
lios Iſraël de Ægyptiacâ ſervitute liberaverit, & “
quàm mirificè, pereuntibus in deſerto murmura- “
toribus, credentes in terram promiſſionis introdu- “
xerit. “

Et num. 39. Dicebat etiam pronus ante ſanctam “
Crucem, qualiter Dei filius deſcendens in uterum “
ſanctæ Virginis, novum, ſicut ipſe promiſerat, “
Cœlum & terram fecerit: vel qualiter in Bethleem “
naſci, & in præſepio poni, atque vilibus pannis “
involui pro noſtra ſalute, nullis noſtris præceden- “
tibus meritis, ſed ſolâ miſericordiâ voluerit. Pro- “
fitebatur etiam, quòd non ſolùm Deus homo pro “
hominibus dignatus eſt fieri, ſed etiam, (quod mi- “
rabilius eſt) Circumcidi, Baptizari, & jejunare. “
Recordabatur ſuſpirando, quod Panis vivus, qui “
de Cœlo deſcendit, ut nos ſatiaret, eſuriit; quòd “
Fons vivus, ut à perpetuâ ſiti liberaret, ſitivit. Re- “
vocabat etiam ad memoriam gemens atque ſuſpi- “

Digitized by Google

„ rans, quòd ille, qui voluntate omnia condidit,
„ factus homo pro hominibus deriſiones & ſputa,
„ colaphos atque flagella, injurias atque vulnera,
„ & ad ultimum Crucis mortem pro hominum re-
„ demptione ſuſtinere voluntariè dignatus eſt. His
„ copulabat vir pius Dominicam reſurrectionem, &
„ ad Cœlos Aſcenſionem, atque Spiritus ſancti ad-
„ ventum: his etiam ſimiliter adjungebat futurum
„ in finem ſæculi judicium, in quo Deus reddet uni-
„ cuique juxta ſuum meritum. “ *Perpende.*

1°. *Veniente autem Andreâ, dixit illi, affer mihi, obſecro, lignum ſanctæ Crucis.* Quia ſcilicet Chriſtum intuendo Crucifixum, à tentationibus liberamur, à ſerpentis tartarei morſibus ſanamur, & ſupernaturalem gratiæ vitam, vel ejus augmentum conſequimur. Num. 21. v. 8. legitur: *Oravit Moyſes pro populo; & locutus eſt Dominus ad eum: fac ſerpentem æneum, & pone eum pro ſigno. Qui percuſſus aſpexerit eum, vivet. Fecit ergo Moyſes ſerpentem æneum, & poſuit eum pro ſigno, quem cum percuſſi aſpicerent, ſanabantur.* Serpens hic æneus Chriſti figura fuit Crucifixi, ſecundùm illud Joan. 3. v. 14. *Sicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in ipſum non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Quemadmodùm ergo qui percuſſus ab ignitis ſerpentibus, æneum aſpiciebat ſerpentem, curabatur; ita qui tentatione morſus a ſerpente infernali per fidem & imitationem Chriſtum reſpexerit in Cruce pendentem, liberabitur & vivet. Tentatur Chriſtianus de avaritia? aſpiciat Chriſtum verbo & exemplo avaritiam damnantem. Verbo quidem. Luc. 11. v. 41. *Date eleemoſynam, & omnia munda ſunt vobis.* Exemplo autem, cum in Cruce veſtimentis ſpoliatus, denudantium libidini ea per-

miſit. Tentatur de gulâ ? intueatur Chriſtum verbo & exemplo gulam reprehendentem. Verbo Joan. 4. v. 32. *Ego cibum habeo manducare, quem vos neſcitis.* & verſu 34. *dicit eis Jeſus: meus cibus eſt, ut faciam voluntatem ejus qui miſit me.* Exemplo, cum in Cruce ſitiens, acetum deguſtavit. Tentatur de invidiâ ? reſpiciat Chriſtum verbo & exemplo invidiam condemnantem. Verbo Matth. 20. v. 14. *Volo & huic noviſſimo dare, ſicut & tibi: aut non licet mihi quod volo facere? an oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?* Exemplo, cùm Judæorum invidiâ in Crucem actus, de illorum malis dolere dignatus eſt, & bonis eorumdem conſulere. Tentatur de irâ? Chriſtum iram increpantem verbo & exemplo contempletur. Verbo Matth. 5. v. 22. *Omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio.* Exemplo, cùm Cruci ſuffixus pro ſuis ipſis Crucifixoribus Patrem his verbis oravit. *Pater ignoſce illis.* Tentatur de luxuriâ ? oculos in Chriſtum convertat luxuriam verbo & exemplo coarguentem. Verbo Luc. 12. v. 35. *Sint lumbi veſtri præcincti.* Exemplo, cum in Crucem ſublatus, virgis, flagelliſque toto corpore conciſus, in honorem caſtitatis Matrem Virginem virgini commendavit, dicens Joanni. *Ecce Mater tua.* Tentatur de acedia vel pigritia? Chriſtum verbo & exemplo pigritiam objurgantem conſpiciat. Verbo Joan. 9. v. 4. *Me oportet operari dum dies eſt: venit nox, quando nemo poteſt operari.* Exemplo, cùm Cruce affectus in finem uſque perſeveravit, & totum noſtræ redemptionis opus abſolvit, perfecit, conſummavit. Tentatur de ſuperbia ? oculos in Chriſtum conjiciat ſuperbiam verbo & exemplo caſtigantem. Verbo Matth. 11. v. 29. *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Exemplo, cum Cruci affixus, factus eſt opprobrium hominum & abjectio plebis, deſpe-

Digitized by Google

pectus & noviſſimus virorum, & veluti à Deo derelictus. Tentatur de incredulitate circa animæ immortalitatem? Chriſtum verbo & exemplo incredulitatem iſtam vituperantem ſuſpiciat. Verbo Joan. 10. v. 27. *Oves meæ vocem meam audiunt: & ego cognoſco eas, & ſequuntur me: & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quiſquam de manu mea.* Exemplo, cùm in Cruce jam jam moriturus, voce magna clamavit. *In manus tuas commendo ſpiritum meum.* Luc. 23. v. 46. pulſatus hujuſmodi tentatione Robertus Chriſti effigiem Crucifixi intentis oculis, acriter, ſtudiosè intuitus eſt, & mox ab eâ liberatus.

2°. *Allata autem ſancta Cruce, tunc confitebatur ſe credere.* Et cur ſanctiſſimâ coram Cruce fidem ſit profeſſus? nempe Crux Chriſti *fidei noſtræ præſidium eſt*; ſi enim fides *argumentum ſit rerum non apparentium*, in Cruce potiſſimùm eminere cenſenda eſt, quæ pariter *argumentum eſt rerum non apparentium.* In Crucis enim ignominiâ Dei Majeſtas deliteſcit, in cruciatibus gloria, in morte vita, in Paſſione omnipotentia, & ipſa Deitas in humanitate ſuffixâ. Fides itaque, quæ eſt de non viſis, in Cruce maximè locum habet: meritò igitur Crux Chriſti *fidei præſidium* appellatur: meritò coram eâ præcipuos fidei articulos Robertus enunciavit.

Beatus Robertus vitâ fungitur omnibus inſtructus virtutibus.

INFINITOS produxi locupletes eâ de re teſtes in primo indice, quorum alii Robertum vocarunt *ſanctiſſimum*, alii *religioſiſſimum*, alii *inſignem*

Digitized by Google

Eccleſiæ Dei Angelum, alii *infinitæ religionis virum*. Summas verò laudes ipſi tribuerunt Baldricus Dolenſis Epiſcopus, & Leodegarius Bituricenſis Archipræſul. Ille præclara ejus facinora litteris commendavit: hic oratione funebri ipſum proſecutus eſt, & omnibus virtutibus prædicavit decoratum, Joſephi patientiâ, conſtantiâ Jeremiæ, Phineæ zelo, Tobiæ charitate, conſilio & ſolertiâ Danielis, Samuelis æquitate, &c. Nonne igitur Robertus homo ad imaginem & ſimilitudinem Dei factus? at quonam pacto, inquies, *homo ad imaginem & ſimilitudinem Dei*, cum homo finitus ſit, Deus verò infinitus; finiti autem ad infinitum nulla ſit proportio? Reſpondet ſanctus Athanaſius in quæſtionibus ex veteri teſtamento quæſt. 51. † Eſt homo ad imaginem Dei factus, quia ſicut Deus eſt in mundo Rex & Imperator, " & in omnia poteſtatem exercens; ſic etiam homo " Princeps & Rex conſtitutus eſt ſuper omnes res " terreſtres, qui liberâ ſuâ voluntate facit, quod " vult, ſicut ipſe Deus. Et hoc eſt quod dicitur ſecundùm imaginem. " Quòd verò juxta ſimilitudinem dicitur, " eſt illa bonitas & juſtitia: ſicut enim Deus " bonus eſt, beneficus, miſericors, juſtus, longanimis, " manſuetus, & qui nos amat & condolet, pacificus " & placidus; ſic talem vult hominem eſſe, ut omnibus " virtutibus exornatus ſit, & Deum in his imitetur, " quantum fuerit virium humanarum in omni " opere bono. ") Homo igitur verè *ad ſimilitudinem Dei* Robertus, cui cum Deo in omni virtutum genere fuit ſimilitudo; homo *ad Dei imaginem*, cum quo Deus principatum in ampliſſimum & ſanctiſſimum ordinem communicavit. Unde hæc ſapientis verba appoſitè potuit uſurpare. *Tu elegiſti me judicem filiorum tuorum & filiarum*. Sapient. 9. v. 7.

Digitized by Google

INDEX

RERUM PRÆCIPUARUM QUÆ Contracto Font-Ebraldenſis Ordinis Clypeo continentur.

PROOEMIUM pag. 14. *Quædam prænotantur de Roberto Arbriſſellenſi. De Marbodo Redonenſi Epiſcopo. De Goffrido Vindocinenſi Abbate. De Hildeberto Cœnomanenſi ac poſteà Turonenſi præſule. De Petronillâ primâ Fontis-Ebraldi Abbatiſſâ.* pag. 15. 16.

Nomina & teſtimonia nonnullorum Illuſtrium virorum qui B. Robertum & primos ejus alumnos beneficiis, amore, atque laudibus proſecuti ſunt.

1°. *Antiſtites Romani.* pag. 17. *Selecta prædictorum Pontificum de B. Roberti, & primorum ejus alumnorum ſanctitate atque exiſtimatione teſtimonia.* pag. 18. *Reflexio.* pag. 22.

2°. *Archiepiſcopi.* pag. 24. *Selecta prædictorum Archiepiſcoporum de Beati Roberti, & primorum ejus alumnorum ſanctitate atque exiſtimatione teſtimonia.* pag. 26.

3°. *Epiſcopi.* pag. 31. *Selecta prædictorum Epiſcoporum de B. Roberti & primorum ejus alumnorum ſanctitate atque exiſtimatione teſtimonia.* pag. 35.

4°. *Abbates.* pag. 41. *Selecta prædictorum Abbatum de B. Roberti & primorum ejus alumnorum ſanctitate atque exiſtimatione teſtimonia.* pag. 46.

5°. *Reges, Reginæ.* pag. 52. *Comites, Comitiſſæ;*

Digitized by Google

Pictavienſes, Aremorici, & Andegavenſes. pag. 53. *Selecta prædictorum Regum & Principum de B. Roberti & primorum ejus alumnorum ſanctitate atque exiſtimatione teſtimonia.* pag. 54.

6°. *Alii Principes, Comites, Barones, & utriuſque ſexûs nobiles.* pag. 61. *Selecta prædictorum Principum, Comitum, Baronum, & utriuſque ſexûs nobilium, de B. Roberti, & primorum ejus alumnorum ſanctitate atque exiſtimatione teſtimonia.* pag. 69.

7°. *Selecta Scriptorum & Chronographorum de B. Roberti & primotum ejus alumnorum ſanctitate atque exiſtimatione teſtimonia.* pag. 81. *Reflexio.* pag. 84.

Præſtantiſſimæ B. Roberti virtutes, ſacræ ſcripturæ, ſanctorumque patrum judicio ponderatæ.

1°. *Abſtinentia, jejunium, & maceratio Beati Roberti.* pag. 89.

2°. *Amor beati Roberti erga Deum.* pag. 92.

3°. *Amor beati Roberti erga proximum.* pag. 94.

4°. *Caſtitas beati Roberti.* pag. 99.

5°. *Fiducia & ſpes beati Roberti in Deum.* pag. 103.

6°. *Gratus beati Roberti animus.* pag. 104.

7°. *Humilitas beati Roberti.* pag. 106.

8°. *Lacrymarum dono præditus erat Robertus.* pag. 111.

9°. *Obedientia beati Roberti.* pag. 112.

10. *Patientia beati Roberti.* pag. 114.

11. *Paupertas beati Roberti.* pag. 115.

12. *Pietas beati Roberti & Religio.* pag. 118.

13. *Pietas beati Roberti erga Beatiſſimam Virginem Mariam, & ſanctum Ioannem Evangeliſtam.* pag. 121.

Digitized by Google

14. *Solitudinis gaudet ſilentio & pace Robertus.* pag. 123.

15. *Zelus beati Roberti.* pag. 124.

16. *Perſeverantia beati Roberti.* pag. 128.

Tranſitus Beati Roberti.

1°. *B. Robertus in lethalem morbum delapſus, Pœnitentiæ & Euchariſtiæ Sacramenta ſuſcipit.* pag. 129.

2°. *Beatus Robertus, morbo ingraveſcente, Sacro ad luctam ultimam Oleo inungitur.* pag. 132.

3°. *Beatus Robertus à magnâ dæmonum caterva tentatur.* pag. 138.

4°. *Beatus Robertus ſanctiſſimâ coram Cruce fidem profitetur.* pag. 142.

5°. *Beatus Robertus vitâ fungitur omnibus inſtructus virtutibus.* pag. 142.

CLYPEI FONT-EBRALDENSIS ORDINIS

TOMVS PRIMVS.

DISSERTATIO PRIMA.

Probroſæ utriuſque Epiſtolæ titulus impugnatur.

NON una eſt de Apologeticarum noſtrarum diſſertationum editione, virorum eruditorum ſententia. Alteri honorificè eas approbant, & jamdiù cenſent fuiſſe vulgandas, ne calumniis, quibus ſcatet Epiſtola à Roſcelino Hæretico in B. Robertum de Arbriſſello conficta, & à P. Jacobo Sirmondo Societatis Jeſu typis mandata, fides adjungeretur. Alteri verò autumant conducibilius fuiſſe de falſis hujuſmodi ſilere criminationibus; quia, inquiunt, ipſarum confutatio eas omnibus proponit

Digitized by Google

diſpiciendas. Illorum ingens eſt numerus: iſti pauciſſimi ſunt, atque falſo hoc nituntur fundamento, prædictam latuiſſe hactenùs Epiſtolam. Falſo, inquam, nituntur fundamento; an enim latuiſſe dicenda eſt Epiſtola, quæ nobis vel ubicunque maneamus, vel quocunque proficiſcamur, à Clericis & Laicis, à Nobilibus & Ignobilibus, à Sapientibus & Inſipientibus quotidie obtruditur? an latuiſſe dicenda, quæ in quindecim librorum millibus refertur vel commemoratur? an latuiſſe dicenda, quam duodecim & ampliùs Autores, quà Latini quà Gallici, vel citant, vel integram producunt. Ex Autoribus Latinis P. Jacobus Sirmondus S. J. anno 1610. lib. 4. Epiſtolarum Goffridi pag. 218. Dom. Michael Coſnier, Parochus Font-Ebraldenſis, anno 1641. in notis ad Baldricum Dolenſem Epiſcopum pag. 89. P. Theophilus Raynaudus S. J. libro anno 1650. edito, cui titulus, *Hoplotheca* &c. pag. 118. anno etiam 1653. pag. 132. Diſſertationis de ſobriâ alterius ſexûs frequentatione. anno inſuper 1657. pag. 45 46. 47. 48. Triadis fortium David. Collectores magnæ patrum Bibliothecæ anno 1654. in lucem emiſſæ. Tom. 15. pag. 534. R. P. P. Joannes Bollandus, & Godefridus Henſchenius. S. J. tomo 5. Actorum Sanctorum anno 1658. typis mandatorum. pag. 600. parag. 6. Collectores maximæ patrum Bibliothecæ, anno 1677. prælo excuſæ. tomo 21. pag. 49. &c. Ex Authoribus Gallicis. P. Honoratus Nicquet. S. J. anno 1642. pag. 202. 203. Hiſtoriæ Font-Ebraldenſis. Dom. Petrus à ſancto Romualdo, Fulienſis, anno 1660. tomo tertio compendii Theſauri Chronologici. pag. 99. & 100. Dom. Balt. Pavillon, Preſbyter, anno 1666. In procemio Hiſtoriæ Fontis-Ebraldi, & cap. 18. pag. 359. Dom. Henricus Boudon, Archidiaconus Ebroicenſis, anno 1671. pag. 268. 269. libri qui inſcribitur.

Les

Digitized by Google

Les ſaintes voyes de la Croix. Dom. Mezeray anno 1677. tomo ſecundo compendii Hiſtoriæ Gallicæ pag. 536. &c. Nemo jam certè Epiſtolam hanc omnes vel plurimos fugiſſe dixerit. De eâ ſanè, ſi ignota fuiſſet, tacuiſſemus, perinde ac de aliâ, quæ Marbodo Redonenſi Epiſcopo ab aliquibus immeritò tribuitur; à cujus refutatione in hanc uſque horam abſtinuimus, & adhuc abſtineremus, niſi P. Natalis Alexander, Prædicator eruditus, eam typis hoc anno 1683. excuſam breviter diluiſſet. Porrò ſi vituperandus eſt aliquatenùs, qui probroſam hanc refellendo Epiſtolam, in ejus cognitionem aliquos adduxit; quantò majori vituperatione dignus erit Sirmondus, qui eam è tenebris, in quibus quingentis annis ſolidis delituerat, extraxit; qui calumniis in eâ contentis fidem non modò non derogavit, ſed etiam adhibuit, ut patet ex his ipſius in indice verbis. *Mira Roberti ſimplicitas & confidentia*; Qui tandem eaſdem calumnias omnibus præbuit & noſcendas & credendas. In quo quidem, quid ſpectaverit? vix apparet. Nam ut perbellè monet ſanctus Ambroſius lib. 2. offic. cap. 12. *Quis in cœno fontem requirat? quis à turbidâ aquâ potum petat? itaque ubi luxuria eſt, ubi intemperantia, ubi vitiorum confuſio, quis inde ſibi hauriendum exiſtimet?* Sed de his infrà fuſiùs.

CAPUT PRIMUM.

Impugnatur primæ titulus Epiſtolæ.

TITULUS Epiſtolæ. *Goffridus Vindocinenſis Monaſterii humilis ſervus, ſuo in Chriſto multùm dilecto fratri Roberto, ſervare modum diſcre-*

Deo offerendo, prout poterat, frequentabat. Et "quid multa? mens ejus, lingua ejus, opus ejus ſemper divina, ſemper Philoſophica, ſemper eruditiora "meditabatur, docebat, fatebatur. Tali nobiſcum vir "ſimplex, rectus, timens Deum, & recedens à malo, "converſatione, ultimos dies vitæ conſecravit Deo.... "In his Sacrorum operum exercitiis eum adventus illius Evangelici viſitatoris reperit. Tunc verò quàm "ſanctè, quàm devotè, quàm Catholicè primò fidei, dehinc peccatorum confeſſionem fecerit, quanto inhiantis cordis affectu viaticum peregrinationis, "ac vitæ æternæ pignus, Corpus ſcilicet Redemptoris "Domini acceperit, quàm fideliter Corpus ſuum & "animam hîc & in æternum ipſi commendaverit, teſtes ſunt Religioſi fratres, & totus illius monaſterii, in "quo corpus ſancti Marcelli Martyris jacet, conventus. "

SUBSECTIO PRIMA.

Primum Argumentum proponitur.

QUANTÙM intereſt inter Catholicum & Hæreticum, inter virum eximium & ſceleratum, inter illuſtrem Cardinalem & execrandum Tritheitam; tantumdem intereſt inter Goffridum Vindocinenſem Abbatem, & injurioſæ hujus Epiſtolæ perfidum Autorem. Goffridus enim Abbas Vindocinenſis Catholicus fuit, vir eximius, & illuſtriſſimus ſanctæ Priſcæ Cardinalis; hujus vero petulcæ autor Epiſtolæ, Hæreticus fuit omni vitiorum generi mancipatus, in Concilio Sueſſionenſi tritheiſmi revictus, ibidem à Patribus damnatus, & ſcripta ſua coactus igni tradere. Teſtatur id graviſſimè Petrus Abælardus in Epiſtolâ 21. ad G. Pariſienſem Epiſcopum,

Digitized by Google

venerabilemque ejuſdem Eccleſiæ Clerum hoc titulo. *G. Dei gratiâ, Pariſiacæ ſedis Epiſcopo, undique venerabili ejuſdem Eccleſiæ Clero P. debitæ reverentiæ ſubjectionem ſempiternam.* † Relatum eſt nobis, à
„ quibuſdam Diſcipulorum noſtrorum ſupervenientibus,
„ quod erectus ille & ſemper inflatus Catholicæ fidei
„ hoſtis antiquus, cujus Hæreſis deteſtabilis tres deos
„ confiteri, imo & prædicare Sueſſionenſi Concilio à
„ Patribus convicta eſt, atque inſuper exilio punita,
„ multas in me contumelias & minas evomuerit, viſo
„ opuſculo quodam noſtro de fide ſanctæ Trinitatis,
„ &c. Interea autem Deo gratias refero, quod numero
„ bonorum hominum jam eſſe videor ex ejus infeſta-
„ tione, quem ſolis bonis ſemper conſtat eſſe infe-
„ ſtum, cujus tam vita quam diſciplina omnibus eſt
„ manifeſta. HIC CONTRA EGREGIUM ILLUM
„ PRÆCONEM CHRISTI ROBERTUM AR-
„ BROSSELLO CONTUMACEM AUSUS EST
„ EPISTOLAM CONFINGERE: Et contrà illum
„ magnificum Eccleſiæ Doctorem Anſelmum Cantua-
„ rienſem Archiepiſcopum adeò per contumelias exar-
„ ſit, ut ad Regis Anglici Imperium ab Anglia turpi-
„ ter impudens ejus contumacia ſit ejecta, & vix tum
„ cum vitâ evaſerit. Vult enim infamiæ habere parti-
„ cipem, ut per infamiam bonorum ſuam conſoletur
„ infamiam: nec niſi bonum odit, qui bonus eſſe non
„ ſuſtinet: qui ob intemperantiam arrogantiæ ſuæ, ab
„ utroque Regno in quo converſatus eſt, tam Anglo-
„ rum ſcilicet quam Francorum, cum ſummo dedeco-
„ re expulſus eſt; & in ipſa cujus pudore Canonicus
„ dicitur, beati Martini Eccleſiâ, nonnunquam, ut
„ aiunt, à Canonicis verberatus, morem ſolitum ſer-
„ vaverit. Nomine deſignare quis iſte ſit, ſupervaca-
„ neum duxi, quem ſingularis infamia infidelitatis &
„ vitæ ejus ſingulariter notabilem facit. Hic ſicut pſeu-

Digitized by Google

do-dialecticus, ita & pſeudo-Chriſtianus, cum in "
dialectica ſuâ nullam rem partes habere æſtimat, ita "
divinam paginam impudenter pervertit, ut eo loco, "
quo dicitur Dominus partem piſcis aſſi comediſſe, "
partem hujus vocis, quæ eſt piſcis aſſi, non partem "
rei intelligere cogatur. Ne quid igitur mireris, ſi is "
qui in Cœlum os ponere conſuevit, in terris inſaniat; "
& qui Dominum perſequitur, membris ejus dero- "
get; & nemini parcit, qui nec ſibi parcere poteſt. "
Valete. *Vbi multa occurrunt ponderanda.* Primo. Abælardus ſproprio nomine appellat Robertum Arbroſſello: ne quis ſuſpicetur ipſum loqui de alio Roberto. 2°. Aſſerit Robertum egregium fuiſſe Chriſti præconem. 3°. Videtur ſancto Anſelmo præferre Robertum, cum hunc illi præponat. 4°. Teſtatur Catholicæ fidei hoſtem, de quo ipſe conqueritur, contumacem in Robertum confinxiſſe Epiſtolam. 5°. Superfluum ducit, nomine deſignare quis iſte ſit, quem tot ſingulares notæ ſingulariter notabilem faciebant.

Sed, quis tandem iſte ſit, quæris? non eſſe diù quærendum rectè notavit illuſtris Andreas Quercetanus, Hiſtoricus Regius, ad Hiſtoriam calamitatum Petri Abælardi. Conſtat enim eſſe Roſcelinum præfati Abælardi præceptorem; conſtat, inquam, 1°. Ex Epiſtola 42. lib. 2. ſancti Anſelmi, Cantuarienſis Archiepiſcopi ad Fulconem Beluacenſem Epiſcopum, ubi ſic loquitur. * Audio, quod tamen
abſque dubietate credere non poſſum, quia Roſce- "
linus Clericus dicit in Deo tres perſonas eſſe tres res "
ab invicem ſeparatas, ſicut ſunt tres Angeli; ita ta- "
men ut una ſit voluntas & poteſtas: aut Patrem & "
Spiritum Sanctum eſſe Incarnatum, & tres Deos "
verè poſſe dici, ſi uſus admitteret: in quâ ſententiâ "
aſſerit venerabilis memoriæ Archiepiſcopum Lanfra- "
cum fuiſſe, & me eſſe. Quapropter dictum eſt, "

Digitized by Google

„ Concilium à venerabili Rhemenſi Archiepiſcopo „ Rainaldo (*du Bellay, qui anno* 1085. *in Manaſſis* „ *primi locum ſuffectus, naturæ debitum perſolvit* „ *anno* 1096.) colligendum eſſe in proximo, quo- „ niam ergo puto reverentiam veſtram ibi præſentem „ futuram, volo ut inſtructa ſit, quid pro me reſpon- „ dere debeat, ſi ratio exegerit. *Et paulo poſt addit.* „ Quicumque blaſphemiam, quam ſuprà poſui me „ audiſſe à Roſcelino dici pro veritate aſſeruerit, ſive „ homo, ſive Angelus, anathema eſt. *Quid Abælardi dictis convenientius, aut affinius dici poteſt?*

Conſtat 2°. Ex Epiſtolâ ſeptima Ivonis Carnotenſis, qui eadem omnia tribuit Roſcelino his verbis. „ † Ivo Dei gratiâ Carnotenſium humilis Epiſcopus, „ Roſcelino non plus ſapere, quam oportet ſapere, „ ſed ſapere ad ſobrietatem. Si eſſes ovis centeſima in „ deſerto perdita, ſed gregi jam reddita, ſicut exar- „ ſerat in te zelus meus, quandiu intellexi te averſum „ & adverſum, ſic requieſceret in te ſpiritus meus, ſi „ te cognoſcerem ad doctrinam ſanam converſum & „ reverſum. Sed quia ſcio te poſt Concilium Sueſſio- „ nenſe in auribus quorumdam, quos mecum benè „ noſti, priſtinam ſententiam tuam clandeſtinis diſpu- „ tationibus ſtudioſiſſimè defendiſſe, & eamdem quam „ abjuraveras, & alias non minùs inſanas perſuadere „ voluiſſe, non poteſt intrare in cor meum, quòd ad- „ huc fidem tuam correxeris, quòd mores in meliùs „ commutaveris.

„ Conſtat 3°. Ex Aventino lib. 6. annal. Bojor. † His „ quoque temporibus fuiſſe reperio Rucelinum Britan- „ num, magiſtrum Petri Abælardi, novi lycæi con- „ ditorem: qui primus ſcientiam vocum ſive dictio- „ num inſtituit, & novam Philoſophandi viam inve- „ nit. Eo namque auctore duo Ariſtotelicorum & „ Peripateticorum genera eſſe cœperunt. Unum illud

Digitized by Google

vetus, locuplex in rebus procreandis, quod ſcien- „ tiam rerum ſibi vindicat: quamobrem reales vo- „ cantur. Alterum novum quod eam diſtrahit, Nomi- „ nales ideo nuncupari, quod avari rerum, prodigi „ nominum atque notionum, verborum videntur eſſe „ aſſertores.) Ubi hæc Aventini verba de Roſcelino, vel Rûcelino, vel Rozelino. *Fuit auctor Nominalium, qui avari rerum, prodigi nominum atque notionum, verborum videbantur aſſertores*, minimè diſſident ab iſto Abælardi teſtimonio. *Hic ſicut pſeudo-dialecticus, ita & pſeudo-Chriſtianus, cum in dialecticâ ſuâ nullam rem partes habere æſtimat, ita divinam paginam impudenter pervertit, ut eo loco quo dicitur Dominus partem piſcis aſſi comediſſe, partem hujus vocis, quæ eſt piſcis aſſi, non partem rei intelligere cogatur.*

Quatuor autem Epiſcopi, quorum nomina incipiunt â litterâ G. vivente Abælardo, Eccleſiæ Pariſienſi præfuerunt. Scilicet Goffridus *de Boulogne* ab anno 1060. ad annum 1092. Guillelmus *de Montfort* ab anno 1092. ad annum 1100. (Succeſſit Fulco, in cujus promotione ortum fuiſſe Schiſma ſcribit Ivo Carnotenſis Epiſt. 138. ad Vulgrinum & Stephanum Archidiaconos.) Galo ſedis Apoſtolicæ Legatus ab anno 1103. aut potius 1105. ad annum 1114. aut 1116. Girbertus ab anno 1116. ad annum 1123. Cum aliquo igitur è prædictis quatuor Epiſcopis de Roſcelini Sycophantiis expoſtulat Abælardus defunctus, anno ætatis ſuæ. 63. die 21. April. 1142. Ex chronico S. Petri vivi Senonenſis.

Digitized by Google

SUBSECTIO SECUNDA.

Reſponſiones P. Alexandri labefactantur.

R. Pater Natalis Alexander, Prædicator, decimo octavo Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ tomo, diſſertatione quintâ, utramque ad Robertum de Arbriſſello datam Epiſtolam ſumpſit ſibi diſcutiendam. Suppoſititiam alteram autumat, eam nempe, quæ ſub Marbodi Redonenſis Epiſcopi nomine circumfertur: alteram verò germanum Goffridi Vindocinenſis Abbatis fœtum aſſerit, contentus tamen rationum ſolutione, quibus eamdem Epiſtolam alii Goffrido abjudicant. Ex Abælardi teſtimonio vult nihil poſſe confici, quia, inquit, pag. 651. *Hanc Epiſtolam ſuam non eſſe palam conteſtatus eſſet Goffridus; & Roſcelinum tam inſignis temeritatis fraudiſque reum plecti curaſſet.* Addit, Abælardum non teſtificari, quod Roſcelinus Goffrido Vindocinenſi contumacem illam Epiſtolam ſuppoſuerit.

Verùm hujus Alexandrinæ reſponſionis vanitas illicò diluceſcit, ſi notetur, duplici ratione intelligi poſſe, quòd Epiſtola fuerit à Roſcelino in Robertum de Arbriſſello conficta. Vel enim conficta dicitur, ob fictitia ſcelera, quæ in ſanctum Fundatorem impingebat, vel quia alieno nomine erat obtruſa. Quocunque autem modo prædictum verbum *confingere* ſumatur, Alexandrinæ reſponſionis vanitas, inquam, dilucefcit. Enimverò ſi quis contendat, hanc Epiſtolam fuiſſe quidem à Roſcelino Hæretico confictam, non tamen ſub nomine Goffridi Vindocinenſis Abbatis: id eſt, ſi contendat, fuiſſe à Roſcelino eâ mente contextam, ut de viri Dei famâ commentitiis

criminibus derogaret ; & poſteà ſcriptoris Cœnomanenſis codicis inconſiderantiâ in numerum Epiſtolarum defuncti Goffridi adhibitam (quod de ſecunda probroſâ Epiſtolâ in litteris tùm Marbodi Redonenſis Epiſcopi , tùm Hildeberti Cœnomanenſis præſulis repoſitâ indubitatum eſt : neque enim ab utroque dari potuit ; imò ut viri cenſent pereruditi à neutro fuit conſcripta, quamvis inter utriuſque opera incogitantiâ ſcriptoris aut collectoris reperiatur.) Quid fiet de iſto Prædicatoris ratiocinio ? data enim hac hypoteſi, neceſſene fuit , ut Goffridus *hanc Epiſtolam ſuam non eſſe palam conteſtaretur ?* Neceſſene fuit ut *Roſcelinum tam inſignis temeritatis fraudiſque reum plecti curaret ?* neceſſene fuit , ut Abælardus hunc Hæreticum *Goffrido ſuppoſuiſſe hujuſmodi Epiſtolam aſſereret ?* Nequaquam ſanè. Ruit itaque hac primâ reſponſione P. Alexandri ratiocinium. Sed non eſt firmius , ſi dicatur , Roſcelinum ſub nomine Goffridi viventis præfatam confinxiſſe Epiſtolam ; quod ex Petri Abælardi teſtimonio collegerunt & illuſtriſſimus Cardinalis Bona , & RR. PP. S. J. Bollandus atque Henſchenius , quorum illationem lubet in ſequentibus articulis adverſùs Prædicatorem propugnare.

ARTICVLVS PRIMVS.

Evertitur prima P. Alexandri reſponſio.

RESPONDET itaque primò pater Alexander ; quod Goffridus manifeſtaſſet , prædictam Epiſtolam non fuiſſe à ſe ipſo conſcriptam ; imo pœnas à Roſcelino repetiſſet. Cur verò Goffridus id manifeſtaſſet ? nonne notum erat atque apud omnes per-

Digitized by Google

vulgatum, contumelioſam hanc Epiſtolam à Roſcelino Tritheita peſtilentiſſimo fuiſſe ſceleratè confictam? innuit id non obſcurè in citatâ Epiſtolâ Abælardus, in qua volens indicare, quis eſſet iſte Catholicæ fidei hoſtis, de quo tam graviter conqueritur, ait. *Nomine deſignare quis iſte ſit, ſupervacaneum duxi, quem ſingularis infamia infidelitatis & vitæ ejus ſingulariter notabilem facit.* Inter autem publicas infamiæ notas refert. *Hic contra egregium illum præconem Chriſti Robertum Arbroſſello contumacem auſus eſt Epiſtolam confingere. Hic in Concilio Sueſſionenſi Tritheiſmi revictus eſt, damnatus atque exilio punitus. Hic ab utroque Regno tam Anglorum, quam Francorum cum dedecore expulſus eſt, &c.* Igitur penitùs perſpectum erat, planèque cognitum, Roſcelinum contra B. Robertum de Arbriſſello ignominioſam confinxiſſe Epiſtolam: tum quia Abælardus dicit hanc notam Roſcelinum ſingulariter notabilem facere: tum quia aliàs idem Abælardus obſcurum indicaſſet per obſcurius. Unde ſicut cognitum erat atque manifeſtum prædictum Roſcelinum in Concilio Sueſſionenſi fuiſſe damnatum, & ab utroque Regno tam Anglorum quam Francorum ejectum: ita notum erat, ac teſtatum, eumdem Roſcelinum injurioſam hanc in B. Robertum confinxiſſe Epiſtolam: proindeque non erat neceſſe, quòd Goffridus eam à ſeipſo non eſſe datam manifeſtaret, aut palam conteſtaretur.

Cur etiam; vel quas à Roſcelino pœnas repetiſſet Goffridus? hæ imprimis pœnæ, verbera nimirum, ignominia, exilium, mors reis infliguntur. An verbera repetiſſet? at hanc pœnam pependerat Roſcelinus, de quo in præfata Epiſtolâ Abælardus. *Et in ipſa cujus pudore Canonicus dicitur, beati Martini Eccleſiâ, nonnunquam, ut aiunt, à Canoni-*

Digitized by Google

cis verberatus, *morem ſolitum ſervavit.* An ignominiam ? at hanc etiam pœnam dederat, de quo idem Abælardus. *Vult enim infamiæ habere participem, ut per infamiam bonorum ſuam conſoletur infamiam.* An exilium ? ſed Roſcelinus *ob intemperantiam arrogantiæ ſuæ ab utroque Regno, tam Anglorum quam Francorum cum dedecore expulſus fuerat.* Fortaſſe tandem morte ipſum mulctari voluiſſet ? nequaquam ſanè, nam *Eccleſia abhorret à ſanguine ; & vix cum vitâ*, teſte Abælardo, *ex Anglia Roſcelinus evaſerat.* Quæ cùm ita ſe habeant, miror cur P. Alexander hanc Epiſtolam Goffrido ſuppoſitam à Roſcelino neget, hac ratione perſuaſus adeò frigidâ atque jejunâ. *Suam non eſſe palam conteſtatus eſſet Goffridus, & Roſcelinum tam inſignis temeritatis fraudiſque reum plecti curaſſet.* Ac eo vehementiori percellor admiratione ratiocinii Prædicatoris, quòd non animadverterit, illud ipſum ſuummet jugulum petere. Aſſerit enim (& verè quidem) ſecundam Epiſtolam non à Marbodo, (ſub cujus nomine circumfertur,) ſed à Roſcelino, vel ab aliquo alio profligato Clerico fuiſſe conſcriptam. Nonne verò poterit aliquis retorquere. *Suam non eſſe palam conteſtatus eſſet Marbodus, & Roſcelinum tam inſignis temeritatis fraudiſque reum plecti curaſſet.* Quemadmodum ſeſe expediat, ipſe viderit.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Evertitur ſecunda P. Alexandri reſponſio.

RESPONDET ſecundò P. Alexander Abælardum non teſtari, quòd Roſcelinus Epiſtolam confinxerit ſub nomine Goffridi Vindocinenſis Abbatis.

At teſtatur contumacem in B. Robertum Epiſtolam confinxiſſe. Hæc autem de quâ nunc contenditur Epiſtola, nonne meritò contumax nuncupari poteſt, quæ Robertum, cujus omnium & ſermonibus & laudibus ſanctitas celebrabatur, obſtinatione quadam malitiæ impudenter carpebat? nonne etiam conficta, id eſt alieno nomine obtruſa, dici queit? quo ſenſu verbum hoc *confingere* uſurpavit Prædicator tom. 1. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ pag. 81. ubi affirmat, *Liturgiam ſancti Iacobi ipſi fuiſſe ſuppoſitam, & ejus nomine confictam*. Nonne tandem ſub nomine Goffridi Vindocinenſis conficta credi debet? cum ab ipſo non fuerit verè conſcripta, ut pluribus mox ſuadebitur argumentis. Interim ità ſentiunt viri doctrinâ & virtute ornatiſſimi, inter quos eminet illuſtriſſimus Cardinalis Bona, qui in *notitiâ autorum* loquens de Goffrido Vindocinenſi, ait. *Goffridus Abbas Vindocinenſis & Cardinalis, vir florentiſſimæ pietatis & doctrinæ: ex cujus Epiſtolis ea expungenda, quæ eſt ad Robertum de Arbriſſello, in ſancti viri dedecus conficta à Roſcelino damnato in Concilio Sueſſionenſi.* Vides illuſtriſſimum Cardinalem Abælardi teſtimonio convictum.

Convicti ſunt etiam RR. PP. Joannes Bollandus, & Godefridus Henſchenius, eruditiſſimi è Societate Jeſu ſcriptores. Uterque enim tom. 5. vitæ Sanctorum pag. 602. num. 56. ait. *Dicam planè quod ſentio: non eſt ea à Goffrido ſcripta Epiſtola, nec tempus facilè oſtendet quiſpiam, quo ſcribi ab eo potuerit, aut à Roberto anſa, ut ſcriberetur, præberi.* Et num. 61. *Verum ejus autorem indicare mihi videtur Petrus Abælardus Epiſtol.* 21. *ad G. Pariſienſem Epiſcopum, videlicet Rozelinum, ſive Roſcelinum.*

Ad hanc opinionem adivit tandem P. Jacobus Sir-

Digitized by Google

mondus Societatis Jeſu teſte prælaudato Bollando ibidem num. 59. * Ipſum quoque Jacobum Sirmon- “
dum certò autore didici (non enim mihi cum viveret, “
quamvis frequens inter nos, & familiare erat com- “
mercium litterarum, non tamen mihi tunc venit in “
mentem, uti illum de illâ Goffridi Epiſtolâ interro- “
garem) ſed ab alio viro ſincero, & gravi è noſtris “
accepi, omninò poſteà judicaſſe, eam Epiſtolam “
Goffridi germanum fœtum non eſſe, re maturiùs “
conſideratâ, perpenſaque Petri Abælardi Epiſtolâ, “
ac deliberaſſe, ſi Goffridi opuſcula denuò prælo “
mandaret, eam Epiſtolam expungere. “

Adivit & Theophilus Raynaudus ejuſdem Societatis, ductus aliquando primâ Sirmondi opinione. Teſtatur ipſe in triad. Fort. David. pag. 46. * Mihi igitur perſuaſiſſimum eſt, Epiſtolam Goffrido affi- “
ctam fuiſſe ex invidiâ Diaboli, ab aliquo plano & “
impoſtore confictam, & ut validior eſſet calumnia “
in Epiſtolâ exarata, Goffrido eâ tempeſtate clariſſi- “
mo fuiſſe ſuppoſitam. Et fuit ſanè Goffridus Roberto “
conjunctiſſimus, nec affectu tantùm, ſed effectu. Quis “
ergo credat, Goffridum de viro, quem ſanctiſſimum “
noſſet, tam malè materiatam, planèque beſtialem “
calumniam ſibi adeò præproperè perſuaſiſſe, & litte- “
ris exprobratoriis commiſiſſe. *Et pag.* 49. Nunc quod “
de Roſcelino alii tacuerunt, Abælardus autem tam “
luculenter expreſſit, lubens arripio, eum ſcilicet, ſin- “
gularem ferum, in Robertum ſtrinxiſſe genuinum; & “
quem ſuis erroribus infeſtum impatientiſſimè ferebat, “
calumnioſis figmentis dehoneſtare tentaſſe.] Ubi & “
evidentiſſimè negat probroſam hanc in B. Robertum Epiſtolam eſſe à Goffrido Abbate Vindocinenſi conſcriptam; & firmiſſimè teſtatur, eam ab aliquo plano & impoſtore, Roſcelino ſcilicet, nequiter fuiſſe confictam.

ARTICVLVS TERTIVS.

Reſponſio P. Alexandri de Sirmondi palinodiâ expenditur, atque confutatur.

SIRMONDUM à primâ ſuâ ſententia deflexiſſe negat P. Alexander pag. 639. *Palinodia Sirmondi*, inquit, *teſtis unus, iſque Anonymus à P. Bollando profertur. Ex viris pleriſque eruditis, qui Pariſiis Doctiſſimo Sirmondo familiariter uſi ſunt, nullus eſt qui conſcientiâ actum, & pœnitentiâ ductum deliberaſſe aſſerat eam Epiſtolam expungere, ſi Goffridi opuſcula denuò prælo mandaret. Et cur ſuam illam pœnitentiam aliquâ ſaltem notulâ teſtatus non fuiſſet? at nullius criminis neceſſaria pœnitentia non eſt.*

Juxta antiquum effatum. *Curioſitas & vanitas duo ſunt animarum noſtrarum flagella: illa omnia perſcrutari jubet, hæc à proprio judicio nunquam diſcedere.* Primo flagello verberatus videtur Sirmondus, qui tot vana, futilia, falſaque indagavit & ſcriptis mandavit. Sirmondum vana, futilia, falſaque inveſtigaſſe & ſcripſiſſe conclamans, injuriam ipſi non irrogo. Probata ſiquidem accuſatio eſt. Ex plurimis gravibus & idoneis teſtibus, tres duntaxat Reverendos Patres coævos Ordinis Prædicatorum impræſentiarum profero. Primus eſt P. Joannes Baptiſta Gonet, qui tomo Clypei Theologiæ thomiſticæ decimo tertio, pag. 752. agens de Chriſmatica unctione, quam Sirmondus in Antirrhetico docet non eſſe de eſſentia Sacramenti Confirmationis, ſed ſolùm ceremoniam quamdam accidentalem, nudæ manuum impoſitioni ſuperadditam, ſic pronuntiat. *Hæc ſententia pluſquam falſa videtur: fuit enim*

perpetuus mos Eccleſiæ, ſive in Oriente, ſive in Occidente, ab initio uti Chriſmate: neque in hoc aliqua varietas fuit, quemadmodùm in materia Ordinationis, ut patet ex Dionyſio, Clemente, Tertulliano, & aliis Patribus. P. Vincentius Contenſon tomo. 7. *Theologiæ mentis & cordis*, loquens de eadem Sirmondi ſententiâ, ait pag. 450. *Hæc aſſertio & ſua novitate parùm tuta, & utriuſque Eccleſiæ Orientalis & Occidentalis traditioni minùs conſentanea eſt.* Et pag. 454. *Materiam Confirmationis perpetua Patrum traditio ita in Chriſmate poſuit, ut oppoſitam aſſertionem Hæreſibus accenſeant Soto, Suarez, Bellarminus, aliique Theologi.* Ipſe P. Natalis Alexander diſſerens de duobus Dionyſiis ſecundo Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ tomo. *Dic enim amabo te*, inquit, pag. 20. *Nunquid Sirmondum & Launoium liberanda veritas expectabat?* & pag. 33. *Quis porrò tot Eccleſias hac in traditione erraſſe dicat, & ad fabulæ aſſertionem conſpiraſſe: primoſque mortalium P. Sirmondum & Launoium ſatis fuiſſe oculatos ad iſtius animadverſionem & emendationem erroris?* Alios prætereo Doctores, qui Sirmondum vanas, futiles, ac falſas fabricaſſe opiniones teſtantur, adeòque primo flagello, curioſitate ſcilicet, vapulaſſe. Sed quod hactenùs me fugit, ſecundò flagello, vanitate nimirùm pariter vapulavit, cùm de priori ſententiâ (ſuper agendi vivendique ratione B. Roberti) viro Religioſo penitûs indignâ, laudabiliter non diſceſſerit. At, inquit P. Natalis, *nullius criminis neceſſaria pœnitentia non eſt.* Nullumne fuit hac in re Sirmondi crimen? nullum prorsùs, inquit Prædicator. *Unde probare non poſſum, quod P. Joannes A Manu-firmâ Font-Ebraldenſis Monachus, P. Sirmondum pietate non minùs quam eru-*

ditione præſtantem , & prudentiâ conſpicuum ſingulari , impietatis & imprudentiæ accuſet. Declamationem illam in Sirmondum Religioſos inter eruditoſque viros celeberrimum contumelioſam , quis æquo animo ferre poſſet ? Hæc pag. 637. Conqueritur itaque de me velut de iniquo Sirmondi objurgatore : ſed expoſtulationis ipſius æquitatem viri cordati dijudicent.

Beatus Robertus de Arbriſſello parens meus quingentorum annorum ſpatio ſanctitatis laude ſine controversiâ potitus fuerat , cum ecce contumelioſa in illum inconſultè anno 1610. edita eſt Epiſtola , cujus pravitate plurimorum mentes ſtatim imbutæ ſunt. In causâ fuit ipſe Sirmondus , nedùm quia in notis ad hanc Epiſtolam titulum hunc è codice Cœnomannico nominatim Robertum de Arbriſſello memorantẽ protulit (*Elenchus* , inquit , *codicis Cœnomannici Ad* R*obertum de Arbriſſello , procuratorem ſanctimonialium de Font-Ebraldi , in quâ hortatus eſt eum , ut magis diſcretè ſe haberet circa ſexum fœmineum.* In quo quidem candidæ fidei, ob quam in magna laude identidem à P. Alexandro ponitur , inſigne dedit teſtimonium , reticendo , quod iſta pars Elenchi , non ſit eâdem manu ac corpus codicis , ſed triplici diverſa manu conſcripta , & tribus quidem aut quatuor temporis intervallis , formulâ & figura ridiculâ, infrà exhibendâ.) Sed & maximè , quia in indice ad litteram. R. indicans commentitium Roberti cum mulieribus accubitum , egregium hoc illi præconium panxit. *Mira Roberti ſimplicitas & confidentia.* Quod certè noluit Prædicator attendere , cum ſcripſit pag. 639. *At de P. Sirmondo aliud ferendum judicium eſt , cum Epiſtolam Goffridi Vindocinenſis nec confinxerit , nec interpolaverit , neque notis aut commentariis eidem venerabili*

Digitized by Google

venerabili viro, vel ſanctimonialibus aut Monachis Fontis-Ebraldi contumeliosis illuſtraverit, ſed ea fideliter & ingenuè reddiderit, quæ in Cœnomanenſi codice Abbatiæ de Culturâ Dei leguntur. Verùm enimverò nonne execranda illa ſimplicitas, quâ Robertus de Arbriſſello cum mulieribus & inter mulieres frequenter cubuiſſe, falſo & imprudenter exiſtimatur, eſt venerabili huic Inſtitutori ignominioſa? nonne ſanctimonialibus quibuſcum & inter quas, ut Sirmondo placet, turpiter jacuit, injurioſa? nonne Monachis Fontis Ebraldi, qui tantum ac talem gloriantur habere Parentem, contumelioſa?

Addidit elogio Theophilus Raynaudus in diſſertatione de ſobriâ alterius ſexûs frequentatione, pag. 132. Ubi enim ex Guillelmo Abbate ſancti Theodorici retulit, ſanctum Bernardum, cum adhuc juvenis in ſæculo hæreret, nudam puellam cum omni pace & ſilentio parte lecti ſui, quam illa occuparat, frui permiſiſſe, nec abſceſſiſſe à tam vicino igne, ſed tantùm vertiſſe ſe in latus alterum; paucis interjectis, ſubdit: * Hoc igitur ex peculiari Spiritus Sancti impulſu, in occaſione ruendi non quæſitâ, ſed malitiosè ingeſtâ fecit tunc ſanctus Bernardus: at ſimiles prolabendi occaſiones ex ſuo cerebro non refugere, vel etiam captare, plenum eſſet temeritatis perire volentis, nec curantis ſuam everſionem, &c. Feciſſe hoc Robertum de Arbruſcellis legitur cum omni deteſtatione apud Goffridum Vindocinenſem. Nec ſanè poteſt ulla par eſſe deteſtatio inconſultiſſimi facti, quo dicitur, [a] cum ſpecioſiſſimâ quaque Sacrarum Virginum, cum nudâ nudus, in eodem lecto cubuiſſe: ut nequicquam frendentem & adhinnientem appetitum in tam illecebroſi objecti præſentiâ novo martyrii genere afficeret.

a Falsò ſcribit Theophilus id legi apud Goffridum Epiſt. 47. lib. 4.

Et factum eſt, ut audivi ſermones iſtos, dolui, & expavi ſtupore vehementi, & ultrà quàm credi poteſt, admirans dixi : *Heu me miſerum! quem patrem nactus ſum, ſi Sirmondo credam & Theophilo Raynaudo? in quonam verſor Ordine? & quomodo Congregatio, quæ vitiis, libidinibus, & ſacrilegiis naſcens flagravit, à Diœceſanis Epiſcopis fuit tolerata, à Regibus & Principibus locupletata, à Summis Pontificibus approbata? Errant, errant profectò Sirmondus & Theophilus Raynaudus, aut turpiter errarunt Principes, Epiſcopi, & Summi Pontifices.* Accenſus eſt itaque zelus meus ſecundùm judicium legis, & ad diluendas immanes calumnias confidenter aggreſſus ſum.

Contendit Prædicator his adverbiis *falsò & imprudenter*, me meis in diſſertationibus uti non debuiſſe. Sed, quæſo, ſi effutiſſem Sirmondum verè dixiſſe : *Mira Roberti ſimplicitas & confidentia.* Prudenter dixiſſe : *Mira Roberti ſimplicitas & confidentia.* Similiter verè, prudenterque Theophilum Raynaudum ſcripſiſſe : *Nudus cum nudâ, & cum ſpecioſiſſimâ quaque Virginum in eodem lecto Robertus cubuit.* Nonne Patris, Ordiniſque mei nefarius proditor, apud & Patrem Alexandrum, & quoſlibet alios jure merito audiviſſem? Igitur neceſſitate compulſus aſſerui falsò Sirmondum dixiſſe : *Mira Roberti ſimplicitas & confidentia.* Imprudenter Sirmondum dixiſſe : *Mira Roberti ſimplicitas & confidentia.* Similiter falsò & imprudenter, Theophilum ſcripſiſſe : *Nudus cum nudâ, & cum ſpecioſiſſimâ quaque Virginum in eodem lecto Robertus cubuit.* Sed excutiatur diligenter hac in re agendi ratio Sirmondi, & innoteſcat

Digitized by Google

& innoteſcat omnibus, quàm iniquus, quàm inconſideratus, quàm contumelioſus in B. Robertum extiterit.

Primò. Sirmondus iniquum ſe Roberto Arbriſſellenſi præbuit. In notis ad. 13. Epiſtòlam lib. 3. Goffridi Vindocinenſis, Hildeberto inſcriptam, de eo ſic ſcribit. † Hoello in Cathedra Cœnomanenſi ſuffectus fuerat anno 1097. Hac relictâ, Gilleberto poſteà in Turonenſi ſucceſſit anno 1125. VIR IN EPISCOPATU EXIMIUS, ANTE ILLUM VITÆ SOLUTIORIS, ut indicat Ivonis Epiſtola 277. Quam qui de Hildeberto, de quo agimus, ſcriptam pertinaciùs neget, is opinor clauſis oculis ſibi credi velit, &c. Neque tamen hæc ita diſſero, ut viri docti, qui contrà ſenſit, nomini obtrectem, ſed quia immortalis memoriæ Cardinali Baronio, debere me judico, ut quæ rectè & verè ab eo dicta ſunt, ea ut pro veris habeantur, enitar quoad poſſum.

In notis etiam ad 14. Epiſtolam ejuſdem libri, in quâ agitur de Marbodi Redonenſis Epiſcopi conjectione in carcerem, ait. *Captus eſt Marbodus à parte adverſâ; dum Rainaldi electioni* (quam Goffridus præcedenti Epiſtolâ, *execrationem*, & Epiſtolâ. 9. lib. 4. *Abominationem* appellat) *inconſultò favet.* Et paulò poſt in Cœlum laudibus illum extollit. *Hujus ſancti præſulis*, inquit, *egregias virtutes, præter Vlgerium, qui ejus ſcripſit Epitaphium, verſibus complexus eſt Rivallonus Archidiaconus Redonenſis.*

At in notis ad Epiſtolam 47. lib. 4. Goffrido ſuppoſitam, & ad fratrem Robertum datam, ne alter quam Robertus de Arbriſſello intelligatur, ſubdit. *Elenchus codicis Cœnomannici: ad Robertum de Arbriſſello procuratorem ſanctimonialium de Fonte-Ebraldi.* Neque poſteà præclarum, ſicut Hildeberto

& Marbodo (quorum primum *in Epiſcopatu eximium*, alterum verò *ſanctum præſulem* vocavit, ut eos calumniis, vel vitiis aliàs proſtratos erigeret,) ſed infame hoc ei in indice tribuit præconium. *Mira Roberti ſimplicitas, & confidentia.*

Quid verò cauſæ fuit, cur tam injurioſis verbis Robertum exciperet? cur ampliſſimas ejus laudes malitioſo & iniquo ſilentio prætermitteret? nunquid Reges, Principes, & cæteri Nobiles; nunquid ſummi Pontifices, Epiſcopi, & Abbates; nunquid celeberrimi ſcriptores multa & graviter, & honorificè de Roberto non prædicarunt? nunquid iſtorum omnium ſcripta DOCTISSIMUM SIRMONDUM fugerunt? nunquid non lectitarat annales immortalis memoriæ Cardinalis Baronii, *cui debere ſe judicat, ut quæ rectè & verè ab eo dicta ſunt, ea ut pro veris habeantur, enitatur.* Quid verò de Roberto teſtatur Baronius? * Ferunt, *inquit, ad annum.* 1117. „Theologum quemdam Pariſienſem, eximiæ doctrinæ virum, divinique verbi concionatorem inſignem, Robertum de Arbruſcellis nomine, eò adventaſſe, ſanctiſque exhortationibus ſuis omnium generum homines ad deſpiciendam ſeculi vanitatem, auſteriorisque vitæ leges ſubeundas permoviſſe: ad quorum habitationem diſtincta iiſdem in ſeptis monaſteria condidit, ſua ſeorſim viris, Virginibus, ægrotis, & mulieribus reliquis ædificando. *Et quibuſdam interpoſitis.* Mortuum tradunt Robertum regulæ autorem anno 1117. & ſancto Bernardo familiarem fuiſſe, &c. *circa finem.* Sed & Petrus venerabilis Cluniacenſis Abbas ejuſdem Roberti meminit magno præconio: utpote qui fuerit inſtitutor matris ſuæ beatæ Raingardæ in vitâ ſpirituali, &c) An hæc, Sirmonde, à Baronio rectè & verè relata minimè ſunt? an ipſi mendacium vis exprobrare? te ipſum

impudentis mendacii convincerent Urbanus ſecundus, Paſchalis ſecundus, & alii ſummi Pontifices; Baldricus Dolenſis Archiepiſcopus, Leodegarius Bituricenſis Archiepiſcopus, B. Petrus Pictavenſis Epiſcopus, Petrus venerabilis Cluniacenſis Abbas, & alii Præſules & Abbates; Guillelmus Neubrigenſis, Guillelmus Malneſburienſis, Goffridus Groſſus, & alii celeberrimi ſcriptores; milleque inſuper in hoc opuſculo producti & producendi incorrupti & integri viri, qui idem omninò de Roberto teſtificantur.

Secundò. Sirmondi imprudentiam clariſſimè patefacit eximium idem encomium ab ipſo in indice B. Roberto impertitum. *Mira Roberti ſimplicitas & confidentia.* Imo verò. *Mira Sirmondi credulitas & imprudentia.* Nam *qui citò credit, levis corde eſt, & minorabitur.* Eccl. 19. v. 4. Suffragatur Tertullianus in Apologetico cap. 7°. *Fama nomen incerti locum non habet, ubi certum eſt. An verò famæ credat, niſi inconſideratus? quia ſapiens non credit incerto.* Siniſtræ autem de B. Roberto diſcurrenti famæ citò credidit Sirmondus: nonne igitur ex ſcriptura, *levis eſt corde*, & ex Tertulliano, *inconſideratus?*

Tertiò. Quis neget Sirmondum dedecoraſſe Robertum, & atroci ipſum laceraſſe contumeliâ, cum in indice ſcripſit. *Mira ejus ſimplicitas, & confidentia.* Quis neget notam turpitudinis toti Font-Ebraldenſi Ordini pariter inuſſiſſe? Adjutor ipſius fuit Theophilus Raynaudus impudorato auſu deblaterans. *Nudus cum nudâ, & cum ſpecioſiſſimâ quaque Virginum in eodem Robertus lecto cubuit.* Audiendus hîc Arnobius lib. 4. diſput. gentes alloquens. *Poteſt ulla gravior contumelia Iovi veſtro infligi*, inquit, *aut quicquam eſt aliud, quod labefactet, aut deſtruat Deorum principis autoritatem, quàm quod eum creditis voluptatibus aliquando libidinoſis victum, &*

in fœmineos appetitus inflammati pectoris incaluiſſe fervore? quid dicitis, O impii, vel quas de veſtro Jove opinionum confingitis fœditates? ita non animadvertitis, non videtis, cujus eum notetis probri? cujus criminis conſtituatis auctorem? vel quas in eum labes flagitiorum, quantas coacervetis infamias? An queit etiam Roberti ſplendor fœdioribus maculis aſpergi, quam ſi deteſtanda hæc illi adſcribatur ſimplicitas, & nudus cum nudâ, & cum formoſiſſima quaque Virginum in eodem cubili turpiter frequenterque verſatus exiſtimetur? Probat quidem ſtudium meum P. Alexander in propulſandis contrà inſtitutorem Ordinemque meum calumniis. *Licet*, inquit pag. 637. *R. P. Joannis à Manu-firma Font-Ebraldenſis Monachi ſtudium in vindicandâ venerabilis parentis ſui Roberti de Arbriſſello famâ plurimùm laudem.* Sed cur huic ſtudio meo non ignoſcit, quod ſuo ignoſcendum putavit in expoſtulatione cum Reverendiſſimo Patre Joanne Paulo Oliva Societatis Jeſu Præpoſito Generali. pag. 2. *Quod hujus controverſiæ arbitrum te ſeligam*, inquit, *facit.. Tum denique, mea erga ſanctiſſimum inſtitutum veſtrum veneratio, cujus profeſſores duos* (P P. Godefridum Henſchenium, & Danielem Papebrochium) *etſi ſancti Thomæ, noſtri Ordinis, Eccleſiæque Doctoris Angelici gloriæ detrahentes, duriùs excipere nolim; quod meo adversùs ſanctum præceptorem ſtudio fortè condonandum eſſet, ac illatæ ab ipſis injuriæ debitum.* Eſto enim, officium venerabilis Sacramenti non abſque injuriâ Angelico Doctori P P. Henſchenius & Papebrochius abjudicaverint. Quantalibet tamen ſit hæc injuria, levis & penè nulla videatur, ſi cum intorta in parentem meum à Sirmondo & Theophilo Raynaudo acerbiſſimâ contumeliâ comparetur; quâ

nefanda tribuitur illi ſimplicitas, & nudus nudarum pulcherrimarumque Virginum lectum ſæpiùs iniuiſſe ac proterviùs,(dicam perpetuò) falsò, imprudenter,& impiè perhibetur. Nonne P. Alexandri verbis hîc mihi licet uti, *hujuſmodi ſcilicet objurgationẽ,meo adverſùs ſanctum inſtitutorem ſtudio condonandam eſſe,& immiſſæ à Sirmondo & Theophilo Raynaudo injuriæ debitam?* Id nequidem Prædicator ipſe negaverit, ſi meminerit ſe R. P. Claudium Fraſſen Minoritam in diſſertatione anticritica (in qua eum accuſat imprudentiæ, nugarum, æmulationis, calumniarum, &c.) ſic fuiſſe allocutum pag. 256. *Cùm verò me invidioſè fueris aggreſſus, & contumelioſè in me ſcripſeris, ne mirere quòd inſultus tuos ſtylo repulerim, operâque meâ defenderim.* Alexandrinum reſponſum mihi iterùm detur uſurpare. *Cum Sirmondus & Theophilus Raynaudus B. Robertum, primaſque ejus alumnas turpiter fuerint inſectati,& injurioſè in illos ſcripſerint, ne miretur Prædicator, quòd inſultus ipſorum depulerim, opuſculoque meo perfringere contenderim.* Probroſam enim Sirmondi in B. Robertum exclamationem vel propoſitionem quis Font-Ebraldenſis Monachus æquo animo ferre poſſet? Inſtat P. Natalis. *An impietatis reus eſt, qui ex codice M. S. optimæ notæ inter alias autoris alicujus Epiſtolas & illam edit, quæ ejuſdem nomen præfert?* Verùm an impietatis reus agitur Sirmondus, quòd optimæ notæ ediderit Epiſtolam? nonne potiùs quòd libellum famoſum à Roſcelino peſtilentiſſimo Tritheitâ editum, omnibus legendum dederit? quòd abominandæ ſimplicitatis B. Robertum de Arbriſſello nequiter inſimulaverit; quòd in indice contumelioſum hoc ei inſcripſerit elogium. *Mira Roberti ſimplicitas & confidentia.* Inſtat rursùs. *An imprudenter vulgatur Epiſtola,*

Digitized by Google

quam qui ſuppprimeret, malæ fidei reum ſe probaret? quod à Sirmondi ingenuitate & animi candore alieniſſimum erat. Malæ igitur fidei reum ſe probavit Sirmondus, qui opuſculum tres primas paginas Vindocinenſis codicis continens, inſcriptumque, *Invectio domni Goffridi Vindocinenſis Abbatis contra ſeipſum*, fraudulenter oppreſſit. Actum eſt de Sirmondi ingenuitate, & animi candore. Inſtat inſuper. *An libellum famoſum vulgaſſe dici poteſt, qui vulgavit Epiſtolam commonitoriam, quam amicus ſcripſit ad amicum.* Utrum hæc Epiſtola ſit commonitoria, vel objurgatoria? amicè, vel inimicè ſcripta? à Goffrido vel à Roſcelino data? in queſtione verſatur. Objurgatoriam eſſe, inimicè ſcriptam, & à Roſcelino datam, negat P. Alexander: aſſerit verò Font-Ebraldenſis Monachus. Ei concinunt P P. Bollandus & Henſchenius inſignes Societatis Jeſu ſcriptores. Aſtipulatur Eminentiſſimus Cardinalis Bona. Teſtimonium Petri Abælardi demonſtrat: & rationes probant mox producendæ.

SECTIO SECUNDA.

Secundum argumentum proponitur, ex tempore, quo hæc à Goffrido ſcribi potuiſſet Epiſtola, deductum; & R. P. Alexandri reſponſio refellitur.

SUBSECTIO PRIMA.

Secundum argumentum proponitur.

SI hæc à Goffrido ſcripta fuiſſet Epiſtola, vel ſcripta fuiſſet ab eo ante fundatum Ordinem Font-Ebraldenſem, cum necdum ullæ fœminæ Ro-

Digitized by Google

berto adhærerent ; vel ipſius fundationis tempore, cum nondùm ſanctimoniales ita arctè eſſent incluſæ; vel poſt fundatum Ordinem, cum jam ita Clauſtro circumcingerentur ut ab oculis & virorum conſortio penitùs eſſent disjunctæ : atqui nec ante fundatum Ordinem, nec ipſius fundationis tempore, nec poſt ipſum fundatum, fuit hæc à Goffrido ſcripta Epiſtola, ut in ſequentibus ſuadebitur articulis : hæc igitur Epiſtola nunquam fuit à Goffrido Abbate Vindocinenſi conſcripta.

ARTICULUS PRIMUS.

Probroſa hæc Epiſtola non eſt à Goffrido ante fundatum Ordinem conſcripta.

CONSTAT. Cum enim ante fundatum Ordinem, nullæ fœminæ Robertum conſectarentur, quomodo contumelioſam hanc illi ſcripſiſſet Epiſtolam Goffridus ? quomodo monuiſſet, quòd ſiniſtra hujuſmodi de ipſo diſcurreret fama ? Confirmatur. Roberti eloquentia inſigni fulta pietate, tantis laudibus ab omnibus extollebatur, ut ab Urbano ſecundo anno 1096. accerſitus ſit Andegavum ; ubi concionari juſſus, Pontificem, omniumque auditorum animos eo uſque rapuit, ac permovit, ut illicò Urbanus Apoſtolici concionatoris munus licet reluctanti detulerit, eumque ſecundum à ſe verbi Divini præconem inſtituerit. Ita Baldricus cap. 2. vitæ B. Roberti. num. 14.

* Contigit in illis diebus, ut Romanus Pontifex Urbanus ſecundus, urgente temporis neceſſitate, in Gallias devenerit, & ad Andegavos declinaverit.

Digitized by Google

,, Audivit de Roberto (non enim abſcondi debebat
,, tanta lucerna ſub modio) accerſiri eum mandavit,
,, ejuſque colloquium deſideranter cupivit. Celebrare
,, ibi habuit ſolemnem cujuſdam Eccleſiæ (*ſancti Ni-
,, colai. Hæc Eccleſia eſt apud Andegavos, Ordinis
,, ſancti Benedicti*) dedicationem, ad quam con-
,, fluxiſſe putares totam orbis amplitudinem. In tanto
,, Conventu Robertum loqui præcepit. Locutus eſt er-
,, go luculenter ad populum, cujus verba valdè Do-
,, mino Papæ placuerunt. Intellexit enim quod Spiri-
,, tus Sanctus os ejus aperuerit. Imperat denique, &
,, injungit ei prædicationis officium; & aliquantulum
,, renitenti ei talis obedientiæ commendat miniſterium,
,, ſecundum à ſe eum ſtatuit Dei ſeminiverbium: utque
,, ubique diſcurrat, adhortatur ad hujuſmodi ſtudium.

Poſtridiè quàm conſecrata fuit ſancti Nicolai Eccleſia, in cujus dedicatione concionem habuerat coram Urbano Robertus, mirabili ejus facundiâ captus Raginaldus Baro Credonenſis, Abbatiam Beatiſſimæ Virgini Mariæ extruere decrevit, & illi de Rotâ cognominatæ Robertum præficere. Dedit itaque boſcum ſuum Credonenſi caſtro proximum Canonicis ſub ſancti Auguſtini Regulâ jam ibidem Præſide Roberto degentibus. Subſcripſerunt Hugo Lugdunenſis Archiepiſcopus, Amatus Burdegalenſis Archiepiſcopus, Gaufridus Andegavenſis Epiſcopus, Ivo Carnotenſis Epiſcopus, Hoëlus Cœnomanénſis Epiſcopus, & Galterius præſul Albanenſis. Poſtero die donum hoc rogatu Roberti confirmavit Romanus antiſtes, videntibus atque laudantibus tribus Cardinalibus, Aldeberto primate Bituricenſi, & Guidone Viennenſi archipræſule, qui regendæ univerſali Eccleſiæ poſtea admotus, anno ſcilicet 1119. Callixti ſecundi vocabulo nuncupatus eſt. Ex chartulario Abbatiæ B. Mariæ de Rotâ.

"* Dum divina pietas quotidie nos admonet, di-
"cens, date eleemoſinam, & omnia munda ſunt vo-
"bis: facite vobis amicos de mammona iniquitatis,
"ut cum vos defeceritis, recipiant vos in æterna ta-
"bernacula. Idcirco ego Raginaldus, Roberti Bur-
"gundionis filius, pro Dei omnipotentis amore, &
"pro retributione animæ meæ, ut pius Dominus eri-
"pere me dignetur à perpetuâ morte, & pro animâ
"patris ac matris, necnon & uxoris meæ, quod-
"dam boſcum meum Credonenſi caſtro proximum ad
"ædificandam ibi Eccleſiam Beatæ & glorioſæ Virgini
"Mariæ, de jure meo in jus Canonicorum ſub B.
"Auguſtini Regulâ in eâdem Eccleſiâ degentium per-
"petuò transfundo, ita ſolidum, quòd à conſuetudi-
"nibus omnibus exemptum, qualiter à Fulcone Ande-
"gavenſi comite juniore ſolutum & quietum illud uſ-
"que in præſentem diem tenui & teneo: eâ ſiquidem
"conditione, ut nullus alius ordo intra præfatam Ec-
"cleſiam, aut in præſenti, aut in futuro, præter Ca-
"nonicorum canonicè illic habitantium admittatur.
"Ut autem hoc donum meum inviolabilem obtineat
"firmitatem, notum facio præſentibus & poſteris meis
"hanc inveſtitionem Andegavis factam eſſe ſupradictæ
"Eccleſiæ, & ejuſdem loci fratribus in camerâ, & in
"Domini Goffridi Epiſcopi præſentiâ, videntibus &
"concedentibus Mauritio & Henrico, & Roberto fi-
"liis meis; & ut hæc donatio rata & inviolabilis per-
"petuò ſubſiſtat, manu propriâ ſubterſcripſi. DATA
"ANDEGAVIS. 3. IDUS FEBRUARII IN
"CRASTINO DEDICATIONIS BASILICÆ B.
"NICOLAI. In nomine Domini ego Hugo Lug-
"dunenſis Archiepiſcopus ſubſcripſi. Sig. Raginaldi
"Credonenſis. Ego Gauffridus Andegavorum Epiſco-
"pus rogatus conceſſi. Sig. Amati. Ego Amatus Dei
"gratiâ Burdegalenſis Archiepiſcopus, & ſanctæ

Digitized by Google

„ Rom. Eccleſ. Legatus laudo & confirmo. Sig. Ivo-
„ nis Carnotenſis Epiſcopi. Sig. Hoelli S. Cœnomanen-
„ ſis Eccleſiæ Epiſcopi. Ego Galterius gratiâ Dei Al-
„ banenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi. Sig. Garnerii
„ Archidiaconi.

„ Conceſſit etiam Raginaldus Credonenſis & Mauri-
„ cius filius ejus ſupradictæ Eccleſiæ & loci fratribus,
„ quicquid de feudo ſuo in quocumque loco ampliùs
„ emerint, ſeu quidquid eidem Eccleſiæ attribuetur de
„ rebus ad ſuum Dominium pertinentibus. Teſte Mat-
„ thæo Suhardo, & Radulpho de Poçoneriâ homi-
„ nibus ſuis. Factâ igitur hac conceſſione a Reginaldo
„ Credonenſi, Firmata est charta in supe-
„ riori camera Gauffridi Andega-
„ vensis Episcopi junioris, per impo-
„ sitionem manus Urbani Papæ, et
„ per B. Petri autoritatem pridie idus
„ Februarias, In primo anno Ordinationis Gau-
„ fridi junioris Epiſcopi, in nono Ordinationis Urba-
„ ni prædicti Papæ, ipſo Gaufrido juniore Epiſcopo
„ vidente & laudante. Leuthrone, Alberto, Rangerio
„ Cardinalibus videntibus & laudantibus. Affuerunt
„ etiam de Clericis Papæ Eniorandus de Seiſſinis, Milo
„ S. Albini Monachus; de Clericis Andegavenſis
„ Epiſcopi, Vuillelmus de S. Laudo, Gaufridus Vi-
„ donis; De Clericis in præfata Ec-
„ clesia sub Regula degentibus Ro-
„ bertus et Quintinus, & duo Hervei, &
„ alii duo. Signum Aldeberti primatis Bituricenſis. Ego
„ Vuido gratiâ Dei Viennenſium Archiepiſcopus ſub-
„ ſcripſi. Ego Giraldus Morinorum Epiſcopus ſubſcri-
„ pſi. Signum Rainerii Canonici Malleonenſis. Ego
„ Rangerius Cardinalis ſubſcripſi. Sig. Fulconis An-
„ degavenſium comitis. His audientibus Clarem-baldo
„ de Rupeforti, & Hieronymo fratre ejus, & Gau-

frido Fulchredo, & Hugone de Poceio.

Per id igitur temporis Robertus inops non erat ab exiſtimatione, non infamiâ & dedecore oppreſſus, non luxuriæ labe notatus. An in omnium ore verſatus eſſet & laude? an Urbanus ſecundus *colloquium ejus deſideranter cupiſſet*? an in dedicatione juſſiſſet eum concionari, *ad quam confluxiſſe putares totam orbis amplitudinem*? An prædicatorem Apoſtolicum conſtituiſſet, & ſecundum à ſe Dei ſeminiverbium? an dona & beneficia in eum contuliſſet Raginaldus? an ea Cardinales, Archiepiſcopi, & alii Præſules chirographo ſuo conſignaſſent? nonne illos à Roberto diſtraxiſſet Goffridus? nonne Raginaldum aut Rainaldum, Credonenſem Dominum, etiam disjunxiſſet, ad quem affinitatis vinculo pertinebat? liquet ex iſto Epiſtolæ 27. lib. 5. præfixo titulo. *Goffridus Vindocinenſis Monaſterii amicorum ſervus, Rainaldo conſanguineo ſuo, & amico præcordiali.* Nonne tandem ab eodem Roberto Urbanum Pontificem maximum divelliſſet? [a] *cui quoad vixit*, ut ait Sirmondus, *unici filii inſtar charus fuit; ab eo Presbyter ſacratus, & ſanctæ Priſcæ Cardinalis creatus.* Igitur ſiniſtra illa de Roberto fama Goffridum Vindocinenſem tunc neutiquam afflarat; alioquin pro ſumma ſua cum præſule Romano familiaritate admonuiſſet, ne hominem perniciosum & infamem tantâ donaret autoritate.

a. in vita Goffridi.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Probroſa hæc Epiſtola non eſt à Goffrido ipſius fundationis tempore conſcripta.

PRobatur. Ipſius fundationis tempore, ſive ſub initium Ordinis, Goffridus frequens erat Fonte-Ebraldi, ſæpius ibi diverſabatur, tam familiaris illic erat, ut ibidem ſibi gibbum vellet reſecari: evidens igitur eſt, Goffridum tunc temporis hanc in B. Robertum non ſcripſiſſe Epiſtolam. Cur enim non Fonte-Ebraldi Robertum monuiſſet, ſi ſiniſtram de illo famam inaudiſſet? cur neceſſe fuiſſet tanto pondere verborum amicum reprehendere, tam acrem Epiſtolam ſcribere, atque ut poſteritati quoque innoteſceret, in adverſariis eam cuſtodire? an tam horrenda de amico, de viro Sancto, de homine omnium laudibus celebrato ſtatim creduntur & ſi quid reprehenſibile occurrerit, an ſtatim pervulgatur, an poſteritati commendatur? malè novit amicitiam, aut potiùs delirat, qui Goffridum tam injuſtè, tam imprudenter, tam ſceleratè amicitiæ leges violaſſe ſuſpicatur.

Quod autem ſub initium Ordinis, Goffridus frequens eſſet Fonte-Ebraldi, perſpicuum eſt ex Epiſtolà 52. lib. 4. quam ipſe R. Priori & omnibus aliis ſcribit. *Quod vobiſcum in paſcha non fui, noſtri corporis infirmitas cauſa extitit. Gibbus enim mihi crevit in dorſo, unde me ſecari oportuit. Et quamvis inter manus, & lacrymoſas voces dilectarum Deo ſanctimonialium de Fonte Ebraldi, raſorio ſcribente in noſtra carne ſuas litteras, corpus noſtrum infirmitate pariter & vulnere non medio-*

Digitized by Google

criter fatigatum teneretur, nec infirmitas, nec ſecantis crudelitas, nec ſtatim impoſiti ſalis aſperitas, ut vos vel ad momentum obliviſcerer, facere potuit. Ubi tria occurrunt notanda.

Primò. Hæc Goffridi Vindocinenſis commoratio Fonte-Ebraldi ſub ipſa Ordinis exordia contigit: cum ei miniſterium impendiſſe ſanctimoniales dicantur: nec proinde ab aſpectibus virorum prorsùs eſſent abſtractæ. 2°. An *ſanctimoniales & Deo dilectas*, nonne potius Sacrilegas appellaſſet, cum quibus & inter quas, vir, Preſbyter, & Confeſſarius noctu frequenter accubuiſſet? 3°. An Fontem-Ebraldi ſeceſſiſſet levandæ causâ infirmitatis? nonne locum, Robertum, & moniales fuiſſet averſatus, quas tamen *Deo dilectas* appellat, & à quibus miniſterium fuiſſe ſibi exhibitum gloriatur.

ARTICULUS TERTIUS.

Probroſa hæc Epiſtola non eſt à Goffrido poſt fundatum Ordinem conſcripta.

PROBATUR. Anno 1114. Goffridus ſanctiſſimam cum Roberto, & Monialibus ejus iniit ſocietatem: ſiniſtram itaque de illo non inaudierat famam: nec proinde tali famâ ad injurioſam hanc ei ſcribendam Epiſtolam moveri potuit. Si enim quid de Roberto, quale dicitur, accepiſſet aliquando Goffridus, an cum illo, & monialibus eius, vel minimam conflare tunc ſocietatem voluiſſet? nonne potiùs tùm illum, tùm iſtas, propter tantam inconſiderantiam, læſumque ſi non pudorem, pudoris certè ſplendorem eſſet deteſtatus? nonne veritus fuiſſet, & non immeritò quidem, ne vel ex leviſſima ſocie-

tate cum homine exiſtimatione damnato labes nomini ſuo inureretur? Percuſſit tamen Goffridus cum Roberto & alumnis ejus fœdus Religioſiſſimum, quod habetur in majoris Monaſterii chartulario chartâ. 271. Hac formulâ.* „Notum facimus ita futuris, ſicut „præſentibus, quòd domnus Goffridus Vindocinenſis „ante omnes & ſuper alios Abbates, hujus loci, qui „Fons-Ebraudi dicitur, familiaritatem habet & bene„ficium. Et cum ipſe obierit, per ſingulos annos ei „ſolemniter celebrabimus anniverſarium. De fratribus „autem Vindocinenſis Monaſterii de quibus breve ha„buerimus, tantùm faciemus, quantùm pro nobiſmet„ipſis. Ipſe verò domnus Abbas partem telonei, quam „apud ſanctum Florentium veterem habebat de ſale, „Capitulo ſuo annuente, nobis donavit, & in perpe„tuum habendam conceſſit. Facta ſunt autem hæc in „Capitulo Fontis-Ebraudi, præſentibus domno Goffri„do Abbate Vindocinenſi, & domno Roberto Magi„ſtro noſtro, annuentibus ſororibus cunctis, anno „1114. Incarnationis Dominicæ. Indictione 7. Conceſ„ſio autem hujus telonei facta eſt in Capitulo Vin„docinenſi, ſexto nonas Auguſti, die Feſtivitatis ſan„ctorum Martyrum Ciriaci, Largi, & Smaragdi. Præ„ſentibus duobus fratribus Fontis-Ebraudi Sainfredo „& Caradoco. *Ubi tria notanda occurrunt.*

1°. Goffridus præ omnibus Abbatibus prædicatur familiaris & beneficus Fontis-Ebraldi: ſed an his titulis mereretur inſigniri, ſi tam horrenda de Roberto & ſanctimonialibus ejus ſuſpicatus eſſet, ſi tam virulentum ſcriptum in eos contorſiſſet, ſi ludibrio & deſpectui poſteritatis probroſâ Epiſtolâ eos objeciſſet? 2°. Partem telonei, quam apud ſanctum Florentium habebat de ſale, Monaſterio Font-Ebraldenſi in perpetuùm conceſſit: an verò beneficus erga laſcivos eſſe voluiſſet? nonne fovendæ eorum libidinis

bidinis jure merito inſimulari potuiſſet? 3°. Cum Roberto & Monialibus ejus arctiſſimam iniit ſocietatem, ut cum è vitâ migraverit, ei celebretur anniverſarium: ſed precesne peſſimorum appetiſſet peccatorum? nonne noverat illud Jacobi 5. v. 16. *Multum enim valet deprecatio juſti aſſidua.* Hæc prima ſubſectio multis rationibus breviter à Bollando perſtrictis eſt compoſita, de quibus P. Alexander pag. 634. *Has rationes ſuas fecit P. A Manu-firma Font-Ebraldenſis Profeſſor.* Veriùs dixiſſet. *Has rationes illuſtravit & amplificavit.* Neque lector æquus refragabitur.

SUBSECTIO SECUNDA.

Reſponſio P. Alexandri refellitur.

RESPONDET P. Alexander pag. 634. † At videbitur forſan aliis aſſignari poſſe tempus, quo hanc ſcripſerit Epiſtolam Goffridus; cum ſcilicet Robertum de Arbriſſello concionantem innumera ſexûs utriuſque multitudo ſequebatur; vel cum ædificari cœptum eſt Fontis-Ebraldi Monaſterium, antequam illæ omnis generis fœminæ clauſtris ſeptæ eſſent. Licet enim bis aut ter forſan illuc ſe contulerit Goffridus Abbas, potuit tamen abſens audire calumniam contra virum ſanctum & ſanctas ejus alumnas vulgatam; & de hujuſmodi probro, quod famâ diſcurrente ſiniſtra jactabatur, illum amicè commonere per Epiſtolam, quem adire tunc non poſſet. Hanc verò in adverſariis non ſervavit, ut poſteritati innoteſceret, ſed collectis, poſtquam è vitâ migravit, ejus Epiſtolis, hæc etiam inter cæteras inventa eſt.] Reſponſio iſta multas continet partes, quæ ſigillatim ſunt refutandæ.

Digitized by Google

ARTICULUS PRIMUS.

Prima pars reſponſionis P. Alexandri infringitur.

PRIMA pars reſponſionis. *Videbitur aliis poſſe aſſignari tempus; cum ſcilicet Robertum de Arbriſſello concionantem innumera ſexus utriuſque multitudo ſequebatur; vel cum ædificari cœptum eſt Fontis-Ebraldi Monaſterium.* Neutrum queit ſuſtineri. Non primum; quia Baldricus Dolenſis Archiepiſcopus de B. Roberto concionante loquens cap. 2. num. 15. ait. *Hinc ex tunc ſummi Pontificis legationi curioſus cœpit inſiſtere, & finitimorum Epiſcopatuum regiones perambulare. Honorabatur ab omnibus, quoniam & honorandus erat, nam & gratia Dei evidenter cum illo ambulabat. Nec erat ſermo illius ſterilis, nec otioſus, quem commendabat laudabilis, & verborum, & operum comitatus.* Si Robertus de Arbriſſello honorabatur ab omnibus, à quibus, vel apud quos ſiniſtra hujuſmodi fama manaſſet, ex quâ Goffridus ad ſcribendam hanc Epiſtolam fuiſſet impulſus? non manavit igitur, cum ei concionanti innumera ſexus utriuſque multitudo adhæſit. Neque diſcurriſſe dici poteſt, Font-Ebraldenſi cœnobio jam extrui cœpto, ſanctimonialibus coactis, licet clauſtro nedùm circumdatis. Tunc enim referente Baldrico cap. 3. num. 19. *Inſpiravit Deus omnium omnibus indigenis circumhabitantibus, quatenus quotidianum eis miſerint edulium, quotidianum eis præparaverint epulum: necdum quidem ſine Deo poterat fieri, qui continuabat circumſitis colonis voluntatem panes*

Digitized by Google

dirigendi. Tunc [a] *adventabant Principes & populi, novam Dei familiam pro parſimonia regulari marcidam, & pallidam viſitaturi. Nec recedebant jejuni, cum ibi verbum ædificationis priùs audirent.* Ubi nequidem umbra ſiniſtri hujuſmodi rumoris. An Roberti alumnos inviſiſſent Principes & populi? an facultatibus auxiſſent? an accitus eſſet ipſe Robertus ad Pictavenſe concilium anno 1100. celebratum, ubi martyr pro caſtitate audiit? annis 1101. 1102. 1103. ſequentibus, Britanniam ex chartulario Rothonenſi, Normanniam ex Martyrologio ſanctorum Ordinis Benedictini, & plures alias Galliæ Provincias ex Goffrido Groſſo concionando percurrit. Quomodo autem Goffridus hanc dediſſet Epiſtolam Roberto in Font-Ebraldenſi cœnobio non commoranti? Suffragatur Baldricus cap. 4. num. 21. *Operariis autem aſſiſtere nec volebat, nec poterat, quia nationibus multis prædicare habebat.* Et infrà. *Dominus verò Robertus nunquam vel à prædicatione, vel ab oratione quibuſlibet occaſiunculis avulſus eſt, ſed ſtrenuitati totus deditus, finitimas & longinquas circumcurſabat Regiones.*

ARTICULUS SECUNDUS.

Secunda pars reſponſionis P. Alexandri diluitur.

SECUNDA pars reſponſionis. *Potuit Goffridus abſens audire calumniam, contra ſanctum virum, & ſanctas ejus alumnas vulgatam: & de hujuſmodi probro illum amicè commonere per Epiſtolam.* Imò ſcriptorem inimiciſſimè atque infeſtiſſimè Robertum commonuiſſe duabus evincitur rationibus.

a. Ibidem.

Digitized by Google

Prima. His irriſoriis verbis Robertum ſcriptor caſtigat. *Fœminarum quaſdam, ut dicitur, nimis familiariter tecum habitare permittis, & cum ipſis etiam, & inter ipſas noctu frequenter cubare non erubeſcis. Hoc ſi modò agis, vel aliquando egiſti, novum, & inauditum ſed infructuoſum martyrii genus inveniſti.* Et iterùm. *Mulierum quibuſdam, ſicut fama ſparſit, & nos antè diximus, ſæpe privatim loqueris, & earum accubitu novo martyrii genere cruciaris.* Quis igitur dicat autorem Epiſtolæ amicè Robertum admonuiſſe, aut reprehendiſſe? *Benevolentiæ, non odii ſignum eſt reprehendere*, inquit Clemens Alexandrinus lib. 1. Pædagogi cap. 8. *Ambo enim probrum injiciunt amicus & inimicus; ſed inimicus quidem irridens, amicus verò benevolens.* Amicus autem Roberto & Font-Ebraldenſibus Goffridus Vindocinenſis: quomodò ipſis itaque tam petulanter inſultaſſet? Memineris, lector, præcepti Proverb. 20. v. 19. relati. *Ei, qui revelat myſteria, & ambulat fraudulenter, & dilatat labia ſua, ne commiſcearis.* Quod ſi quæras, quid ſit *dilatare labia ſua?* dicam uno verbo; eſt proximi vitium, culpam, & defectum, verum vel commentitium, non ingenuè & ſincerè referre, ſed ampullatis, & ſeſquipedalibus verbis dilatare, augere, & amplificare. De quo conquerebatur David, Pſalm. 25. *Poſuiſti nos opprobrium vicinis noſtris, ſubſannationem & deriſum iis qui in circuitu noſtro ſunt.* Hæc ultima verba legit aliter ſanctus Chriſoſtomus, ſic. *Pompam qui in circuitu noſtro ſunt.* Quid verò ſubſannatio cum pompa? nimirum ea eſt acerbior, quâ magnificis defectus verbis corripiuntur. Hujuſmodi ſubſannatione & deriſione uſus eſt ſcriptor dicens. *Hoc ſi modo agis, vel aliquando egiſti, novum & inauditum, ſed infructuoſum Martyrii genus inveniſti.*

Digitized by Google

Secunda ratio. De hac Epiſtolâ auſim dicere, quod de illâ P. Alexander aſſerit, quæ Marbodo à nonnullis adſcribitur, ſcilicet *non tantùm duram eſſè, ſed petulantem, irriſoriam, inſultabundam.* Mirificè enim ambæ inter ſe conveniunt. Patet ex accuratâ ipſarum collatione.

1°. Utraque inſcripta eſt Roberto ſine cognomine *de Arbriſcello*, & abſque mentione *Fontis-Ebraldi.* Prima. *Goffridus Vindocinenſis Monaſterii humilis ſervus, ſuo in Chriſto multùm dilecto Fratri Roberto, ſervare modum diſcretionis, & terminis quos patres poſuerunt, eſſe contentum.* Secunda. *Minimus Epiſcoporum Roberto ſervo Dei: non ſolùm rectè offerre, ſed & rectè dividere.*

2°. Utraque fictas fraudulentaſque continet blanditias, ut ex ſubjectis acerbis irriſionibus liquet. Prima. *Novit chariſſime, & benè novit tua dilectio.* Secunda. *Decet autem tuam profeſſionem chariſſime.* Et. *Vide ergo fili dilectiſſime.*

3°. Utraque neminem atteſtatur præter ſiniſtram de B. Roberto apud populum diſcurrentem famam. Prima. *Hæc idcircò venerabilis Frater propoſuimus; quia te talia egiſſe, & adhuc agere famâ diſcurrente ſiniſtrâ audivimus.* Et. *Fœminarum quaſdam, ut dicitur, nimis familiariter tecum habitare permittis.* Et. *Mulierum quibuſdam, ſicut fama ſparſit, ſæpè privatim loqueris.* Secunda. *At verò cum quædam à te dici, & fieri referuntur, quæ nec ſanæ doctrinæ, nec honeſtæ vitæ conveniant.* Et. *Ut refertur, diceris hæc facere.* Et. *Mulierum cohabitationem diceris plus amare.* Plenum ſe hîc exhibet ſcriptor inconſideratiſſimæ atque amentiſſimæ temeritatis; exploratum enim habere deberet peccatum corrigendum, neque ex ſolo rumore, non rarò, non inſolenter, ſed plerumque fallaci, acerbiùs in proximum

Digitized by Google

invehi, & eum inſectari vehementiùs. Innuit id Deus ipſe Abrahamum alloquens Gen. 18. v. 20. *Clamor Sodomorum & Gomorrhæorum multiplicatus eſt, & peccatum eorum aggravatum eſt nimis. Deſcendam, & videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint? an non eſt ita, ut ſciam?* Ex quo documentum hoc nos capere convenit, neminem ſcilicet ex ſolo ſiniſtro inter populum diſſeminato rumore eſſe vituperandum, corripiendum, condemnandum. Hanc fuiſſe Goffridi mentem evidens eſt ex Epiſtola mox producenda, in quâ nedùm ſpernit, ſed etiam culpat ſimilem de Preſbytero ſermonem. *Ducendus eſt*, inquit, *populus, non ſequendus; nec recipiendus in accuſatione clericorum.*

4°. Utraque conjunctione, *ſi*, fallaciter utitur, ut conſtat ex vehementibus ſubjunctis objurgationibus, quas nemo tamen dubitans adhibet. Prima. *Te talia egiſſe, & adhuc agere fama diſcurrente ſiniſtra audivimus: quæ SI vera ſunt, ut nullâ excuſatione illa defendas, ſed cum omni feſtinatione illa corrigas, tuam ſimplicitatem commonemus.* Secunda. *Quæ circa te plurimos ſcandalizant, ſpecialiter deſignabo, ut SI culpam cognoveris, emendare non negligas.*

5°. Utraque Robertum magnis extollit laudibus, ut probroſis poſteà deprimat accuſationibus. Prima. *Tu quidem in mundo, quaſi montem excelſum aſcendiſti: ac per hoc in te linguas & oculos hominum convertiſti.* Et. *mundus penè totus te ſequitur.* Secunda. *Quoties de tua fraternitate audio, quod Chriſtianam Religionem decet, non ſolùm nomine tuo gaudeo, ſed & capiti noſtro congratulor, cujus per te bonus odor, ipſo donante, longè latèque diffunditur.* Et. *meminiſſe debes Cœleſtium animalium, in quorum numero es reputatus, quæ plena deſcribuntur oculis antè & retrò. Nam & ipſe*

Digitized by Google

Evangelium Chriſti circumferens ſuper quadrigas Aminadab conſcendiſti. Et. *videmus ad te turbas undique confluentes.* Indicat his verbis ſcriptor maximam, quâ apud omnes erat beatus Robertus, gloriam. Verùm ſi ſiniſtra hujuſmodi manaſſet fama, quómodò totus eum mundus ſecutus eſt? quomodò miratus, coluit, veneratus eſt? quomodò per eum Chriſti bonus odor longè lateque diffuſus? nonne laſcivia virorum etiam præſtantium violat, corrodit, obſcurat exiſtimationem? Nimirùm [a] *Inſurrexerunt* in Robertum *teſtes iniqui*, & *mentita eſt iniquitas ſibi.* Circa quæ Ruffinus. *Iniquitas mentita eſt ſibi, non ſanctis; quia mendacium eorum ſibi verſum eſt in pœnam & damnationem, ſanctis verò in gloriam.*

6°. Utraque Robertum inſimulat inconſideratiſſimæ confidentiæ. Prima. *Nunquam frater de tua Religione tantùm confidas, ut credas non poſſe labi, ſi cautè non ambulas.* Secunda. *Vide ergo, fili dilectiſſime, ne, dum nimiùm de tuâ ſanctitate confidis, infirmioribus membris offendiculum fias, aut ſcandalum.*

7°. Utraque Robertum vocat in crimen imprudentis, imò impudentis cum fœminis accubitûs. Prima. *Fœminarum quaſdam, ut dicitur, nimis familiariter tecum habitare permittis: & cum ipſis etiam & inter ipſas noctu frequenter cubare non erubeſcis.* Et infra. *Earum accubitu novo quodam martyrii genere cruciaris.* Secunda. *Mulierum cohabitationem diceris plus amare. Has ergo non ſolum communi menſâ per diem, ſed & communi accubitu per noctem dignaris, ut referunt.*

8°. Utraque Robertum dementiſſimæ redarguit novitatis. Prima. *Ergo ſtans in monte, vide ne corruas; nec per martyrium martyribus ſanctis penitùs igno-*

a. Pſal. 26. v. 12.

tum Religioſæ vitæ principio notam infamiæ derelinquas. Secunda. *Redi igitur ad communem ſenſum, nec ſine exemplo in ſanctitate eſſe contendas. Propheta quoque non nos ad novitates excogitandas, ſed ad antiqua ſequenda veſtigia nos hortatur.*

9°. Utraque Roberto periculum comminatur. Prima. *Duram valde provinciam regere cœpiſti, & quæ ſuum rectorem ſæpiſſimè traxit ad mortem.* Secunda. *Cavendum ergo ne te captura tua captivet.*

10. Utraque eamdem imminentis periculi cauſam exponit. Prima. *Præſertim cum prohibitum ſit à Salomone in ipſo, & per ipſum Spiritu Sancto tonante. Cum muliere, inquit, non accumbas, nec ſis aſſiduus cum eâ, nec illam conſpicias; ne forte ſcandalizeris in pulchritudine illius, & pereas.* Et. *Mulier pretioſas animas capit: cujus colloquium velut ignis cor hominis accendit.* Et iterum. *A muliere enim initium factum eſt peccati, & per illam moriuntur homines univerſi.* Secunda. *Divinæ & humanæ leges huic ſocietati manifeſtè reclamant. Initium enim peccati à muliere factum eſt, & per illas omnes morimur.* Et rursùs. *De quibus ſcriptura divina ſic loquitur. Morbos aſpides ſibilant: & mulier fundit concupiſcentiæ peſtilentiam. Quam Salomon ſic comparat dicens: de veſtimento procedit tinea, & à muliere iniquitas viri. Unde alibi. Mulier autem viri pretioſam animam capit.* En ex ſacris paginis eadem propemodùm deſumpta loca.

11. Utraque Robertum procaciſſimè deridet. Prima. *Hoc ſi modo agis, vel aliquando egiſti, novum & inauditum, ſed infructuoſum Martyrii genus inveniſti.* Secunda. *Duo ergo argumenta ſanctitatis & libidinis hinc inde miranda.* Et infrà. *Quo igitur tibi abjecto habitu regulari, opertum ad carnem cilicio, nudipedem per vulgus incedere, & no-*

Digitized by Google

vum quaſi ſpectaculum præbere videntibus, ut ad ornatum Lunatici ſolam jam tibi clavam deeſſe loquantur. Utriuſque Architecto Epiſtolæ Roberto tam petulanter inſultanti rectè congruit hæc Eccleſiaſtici ſententia. [a]. *Stultus acriter improperabit.* De juſto. verò & ſapiente teſtatur è contrario David. [b] *Corripiet me juſtus in miſericordiâ, & increpabit me... In miſericordia.* Non *in deriſione.* Et ſanctus Paulus Epiſt. ad Galat. 6. v. 1. *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis, inſtruite hujuſmodi in ſpiritu lenitatis.* Pondera. *In ſpiritu lenitatis.* Non *in ſpiritu deriſionis.* Hanc etiam tradidit Marbodus regulam Epiſtolâ ad Ingilgerium. *Nolite, dilectiſſimi fratres; condemnare & abominari peccatores, ſed cum manſuetudine eos corripite.*

12. Utraque Roberto intentat damnationem. Prima. *Nullâ etiam tuâ actione mundo, qui penè totus te ſequitur, ſuſcites ſcandalum; nam fieret tibi damnatio gravior, ruina plurimorum.* Secunda. *Si autem pro uno proſelyto væ facientibus, quid debetur tales plurimos facienti? nam ſi unius damnatio plures condemnat, multò ampliùs plurimorum perditio redundat in unum? tuorum autem proſelytorum tantus eſt numerus, &c.* Et circa finem. *Super quod vel rationabilem à tua fraternitate petimus reſponſionem, vel certam tibi timemus damnationem.*

13. Utraque Roberti preces efflagitat. Prima. *Vale, & nos tuarum ſanctarum precum, ſuppliciter precamur, participes effice.* Secunda. *Orantem pro nobis ſanctitatẽ tuam Chriſtus cuſtodiat, dilectiſſime frater.* Deprecationem hanc infami, laſcivo, & peſſimo peccatori quis adhibeat? adhibendam autem probo, ſancto, & juſto docet D. Jacobus cap. 5. v. 16. dicens. *Mul-*

a. Eccli, 18. v. 18. b, Pſal. 140, v. 5.

Digitized by Google

tum enim valet deprecatio juſti aſſidua. Sed vereor, ne ſicut dixit Dominus ad Jeremiam cap. 15. v. 1. *Si ſteterit Moyſes & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum.* Ita utriuſque Molitori Epiſtolæ reſponderit. *Si ſteterit Robertus coram me, non eſt anima mea ad te.* Non quia preces Roberti parvipendat Deus; ſed quia iniquitas ſcriptoris, ſicut & iniquitas domûs Iſrael & Juda magna eſt nimis valdè. Ezech. cap. 9. v. 9.

Vides jam utramque Epiſtolam eadem improbitate, fallaciâ, & malignitate deformatam. Utraque enim fictas fraudulentaſque continet blanditias; utraque conjunctione *ſi* doloſè utitur; utraque Robertum magnis extollit laudibus, ut probroſis poſteà deprimat accuſationibus; utraque ipſum inſimulat inconſideratiſſimæ confidentiæ; utraque in crimen vocat imprudentis, imo impudentis cum fœminis accubitûs; utraque redarguit dementiſſimæ novitatis; utraque virum Dei acerbiſſimè & procaciſſimè deridet, &c. Quomodo igitur alterutra dici queat amicè & benevolè ſcripta? nonne potius iniquo infeſtoque animo data? perfidus enim obtrectator aliquas B. Roberti laudes proſecutus eſt, & mox ipſum dente maledico diſcerpſit. Præmiſit blanda quædam & demulcentia verba, & ſtatim ſanctum Inſtitutorem linguæ ſcalpello vulneravit. Imitatus videtur chirurgos, qui priuſquam venam incidant, partem incidendam manu demulcent, & illicò ſauciant, ſanguinemque copioſè eliciunt. *Molliti ſunt ſermones ejus ſuper oleum, & ipſi ſunt jacula.* Pſal. 54. v. 22.

ARTICVLVS TERTIVS.

Tertia pars reſponſionis Patris Alexandri infirmatur.

TERTIA pars reſponſionis. *Hanc Epiſtolam in adverſariis non ſervavit Goffridus, ut poſteritati innoteſceret; ſed collectis, poſtquam è vitâ migravit, ejus Epiſtolis, hæc etiam inter cæteras inventa eſt.* Quæro, ubinam inventa? in Abbatiâ Cœnomanenſi ſancti Petri de Culturá, inquit Prædicator. Quæro inſuper, undenam illam habere potuerit Abbatia Cœnomanenſis? an à Goffrido? an à Vindocinenſi Abbatia? an à Font-Ebraldenſi? non à Goffrido, aliàs de eximio Doctore malè, pravè, nequiter detraxiſſet, à quo quantùm abhorreret Goffridus, compertum eſt ex Epiſtolâ 22. lib. 4. *Amblardo Lemovicenſi Abbati* inſcriptâ, ubi ait. *Deteriores quippe ſunt, qui detractionibus Doctorum vitam moreſque, quamvis videantur reprehenſibiles, inſequuntur, his qui ſubſtantias aliorum, prædiaque diripiunt. Et ideo juſtè infames ſunt, & ab Eccleſiâ extorres fiunt.* Neque etiam à Vindocinenſi Abbatia eam accipere potuit Epiſtolam; cum in inſignis hujus Abbatiæ codice, ut octavo probabimus argumento, non reperiatur. Nec denique à Monaſterio Font-Ebraldenſi; quis enim credat miſiſſe; ut poſteritati innoteſceret, Epiſtolam in B. Robertum, & totum Ordinem adeò contumelioſam? Hinc conjicere licet, eum, qui Cœnomanenſem codicem primus conſcripſit, undique collectas, quæ Goffridi viderentur eſſe Epiſtolas, etiamque illam à Roſcelino hæretico, ut oſtendimus, exaratam,

in unum volumen inconſultè redegiſſe. Id de ſcriptore victorini codicis non diffitetur P. Alexander, qui rectè autumat ſecundam Roberto Arbriſſellenſi inſcriptam Epiſtolam, non fuiſſe ab Hildeberto Turonenſi Archiepiſcopo datam, licet inter Hildebertinas extet in prædicto codice: quidni ergo fateatur idem de Cœnomanenſis autore codicis?

SUBSECTIO TERTIA.

Tertium argumentum proponitur; petitum ex frequentibus Goffridi ad Font-Ebraldenſe Monaſterium itineribus.

NEDUM vivente, ut in præcedenti relatum eſt argumento, ſed defuncto etiam B. Roberto, Goffridus Fonte-Ebraldi frequenter diverſabatur; ad locum hunc divertebat, cum Epiſcopis de rebus maximi momenti & ponderis collocuturus; ad Monaſterium hoc, cum bello Pictavenſis arderet ager, confugiebat tanquam ad azylum: perſpicuum igitur eſt, injurioſam hanc Epiſtolam viventi Roberto non ſcripſiſſe. Si enim ſcripſiſſet eam, quomodò Fontem-Ebraldi mortuo etiam B. Roberto petere auſus fuiſſet? quomodo ad Cœnobium iſtud Petronilla tuliſſet Abbatiſſa eum divertere? divertit tamen ſœpiùs, ut ipſe teſtatur Epiſtolâ 24. lib. primi ſcripta. *Domino Girardo Engoliſmenſi, Epiſcopo, & ſanctæ ſedis* „ *Romanæ Legato.* † Noverit dilectio veſtra, Pater „ chariſſime, quod ſemel & ſecundò de fratribus no- „ ſtris Pictavienſi Epiſcopo miſimus, deprecantes ut „ nos ad vos uſque dignaretur conducere. Quod ipſe „ benignè ſuſcipiens, in Aſſumptione Beatæ Mariæ „ ſeipſum AD FONTEM-EBRALDI, ſpopondit ven-

turum, & quod petieramus diligenter facturum. Nos autem, ſicut mandaverat, ad prædictum locum venimus: ubi nec ipſum, nec ejus nuntium invenientes, fatigati incaſſum à loco receſſimus.

Et Epiſtolâ. 26. ejuſdem lib. ſcriptâ eidem Girardo. † Ad vos venire deſiderio deſideramus, ſicut olim vobis mandavimus, ſed propter multiplices guerras, quæ in Epiſcopatu Pictavienſi excreverunt, nec ad vos venire, nec loca, quæ in partibus illis habemus, viſitare audemus. Unde veſtræ dilectioni præcordialiter ſupplicamus; quatenùs per Pictavienſem Epiſcopum, vel per quemlibet alium, nos ad vos conduci faciatis, quia ultrà FONTEM-EBRALDI progredi ſecurè non poſſumus.

Et chartâ 685. Font-Ebraldenſis chartularii. Subſcribit Goffridus dono maſuræ terræ, in quâ Prioratus de Regreperiâ collocatus eſt. † Omnia veſtra in charitate fiant, ut ait Apoſtolus. Ut ergo charitatem qui Deus eſt adquirere valeamus, bona noſtra dare debemus. Idcircò egò Mauricius Gaudini pro amore Dei, & redemptione animæ meæ dono Deo, & Beatæ Mariæ, & Sanctimonialibus Fontis-Evraudi unam maſuram terræ *Regrepiere* nominatam, in quadam regiunculâ nomine Eſcublant, &c. Hujus rei teſtes ſunt Paganus de Monte-rivelli, ET GAUFFRIDUS VENDOSMENSIS. Acta Ludovico Francorum Rege, Fulcone Andegavorum comite, Rainaudo Andegavorum præſule.

In prædictis autem duabus Epiſtolis, quædam occurrunt notanda. 1°. Epiſcopus Pictavienſis, quem expectabat Fonte-Ebraldi Goffridus, eſt ex Sirmondo [a] Guillelmus, Petri ſucceſſor, qui ſacratus anno 1117. deceſſit anno 1123. Igitur Goffridus Fontem-Ebraldi adibat etiam anno 1117. vel poſt hunc annum: & proindè hunc in locum ſe recipiebat poſt

a. In notis ſuper Epiſt. 24. 26.

B. Roberti obitum. Nam ex eodem Sirmondo juxta chronicon ſancti Albini, *anno 1116. obiit Robertus de Arbriſſello. 5. Kalendis Martii. Iſte fuit fundator Monaſterii Fontis-Ebraldi.* 2°. An Epiſcopus Pictavienſis Goffridum ad Font-Ebraldenſe cœnobium invitaſſet, ſi contumelioſæ hujus Epiſtolæ eum autorem eſſe, & tam malè meritum de toto Fontis-Ebraldi Ordine cognoviſſet: an ipſe Monaſterium iſtud petiiſſet, ſi tam horrenda ibi agi, vel acta eſſe audiviſſet? quomodo apud eum non effeciſſet Goffridus, ne in ſua diœceſi perditos homines toleraret?

Confirmatur. Goffridus non modò Petronillam, primam Font-Ebraldenſem Abbatiſſam, adibat vivente & mortuo B. Roberto; ſed eam etiam ad Turonenſem aliàs, aliàs ad Andegavenſem civitatem deducebat. Ad Turonenſem quidem, ubi Petronilla teſtis fuit donationis ipſi factæ, anno 1124. Patet ex char-
„ tulario Monaſterii Vindocinenſis. * Fulco Dei gratiâ
„ Andegavenſis comes, Aremburgis Comitiſſa ejus di-
„ lectiſſima uxor, filiuſque eorum natu major Goffri-
„ dus, Gaufrido Abbati & univerſæ Congregationi
„ Vindocinenſis Monaſterii ſal. Offerimus, &c. Actum
„ Turon. in turre Comitis anno 1124. indict. 2. Inter-
„ fuerunt PETRONILLA ABBATISSA FONTIS-
„ EBRALDI, Radulphus de Balgentiaco, & alii.

Ad Andegavenſem verò, ubi ipſe Goffridus ſubſcripſit concordiæ inter Petronillam, & quoſdam alios de vineis altercantes. Ita refertur in chartulario
„ Fontis-Ebraldi chartâ 32. his verbis. † Deinde ab
„ eleemoſynariis præmonita Petronilla Abbatiſſa cum
„ eiſdem in curiam Ilgerii Epiſcopi (*Vlgerii, qui an-*
„ *no 1124. Andegavenſis Eccleſiæ regimen ſuſcepit*)
„ venit: & Adam de Rupeforti ibidem ſecum habuit,
„ paratum videlicet ad defendendum, quòd, ut prædi-
„ ctum eſt, Eccleſiæ B. Mariæ conceſſerat: & ad diſ-

ferendum quòd vineæ illæ Eccleſiæ propriæ erant. "
Habuit & ſecum alios teſtes ejuſdem rei. Quid plura? "
ſedatâ tandem omni querimoniâ de eiſdem vineis ipſo "
die in curiâ prædicti Epiſcopi, cum eleemoſynariis "
ab Abbatiſſa firma concordia facta eſt, ita videlicet, "
quòd vineæ illæ in pace Eccleſiæ remanſerunt. Hujus "
concordiæ teſtes ſunt ipſe Epiſcopus. Richardus Ar- "
chidiaconus. GOFFRIDUS ABBAS VINDOCI- "
NENSIS. Radulphus Deburis. Laici verò Guito de- "
ſuperpontem. Garinus de Lauſduno. Goſlenus de "
Turonis; &c. *Ubi duo ponderanda.* "

Primò. Goffridus comes Petronillæ fuit, & plurium ejus itinerum ſocius: verùm an id paſſa fuiſſet Petronilla, ſi eum injurioſæ habuiſſet Epiſtolæ fabricatorem? nonne repudiaſſet? nonne exploſiſſet? nonne eum inſectata fuiſſet vehementius? 2°. Subſcripſit idem Goffridus concordiæ inter Petronillam & eleemoſynarios: an verò Petronilla arbitrum, vel teſtem ſuæ illum accepiſſet controverſiæ? nonne ipſum potiùs ad judicium vocaſſet? nonne litem ei intendiſſet? nonne calumniarum ab eo pœnas expetiſſet?

Reſpondet P. Alexander pag. 642. *Cum Petronilla probè noſſet Epiſtolam, de qua agimus, charitate urgente à Goffrido ſcriptam fuiſſe ad magiſtrum Robertum; cum gratias ipſi haberet maximas, quod ſiniſtræ famæ fidem non adhibuiſſet; mirum eſſe debet nemini, quod ipſum Petronilla honorificè ſuſceperit.* Utrumque falſum, imo falſiſſimum. Tum quia charitas non urget ad felle mixtam, & aculeis figentem ſcribendam Epiſtolam: tum quia hujus autor Epiſtolæ ſiniſtræ famæ fidem adjunxit, ut ex quinto conſtabit argumento.

Digitized by Google

SECTIO QVARTA.

Quartum argumentum proponitur, depromptum & ab ingrato Epiſcopo vituperato à Goffrido, & à ſiniſtrâ apud populum diſcurrente fama ab eodem Goffrido damnatâ & deſpectâ.

SVBSECTIO PRIMA.

Ingratus Epiſcopus à Goffrido vituperatur.

GOFFRIDUS Epiſtolâ 4. lib. 3. ſcriptâ Rainaldo Epiſcopo Andegavenſi refert obſequia cujuſdam Monachi erga Epiſcopum. *Epiſcopus*, inquit, *ad locum Monachi veniens, cum ipſo hoſpitari voluit, quem Monachus cum gaudio & honore ſuſcepit: nec ſua tantùm, verum etiam ſe ipſum in Epiſcopi ſervitium totâ dilectione exhibuit. Monachus Epiſcopum ibi diutiùs manere voluiſſet, ſi Epiſcopus conſenſiſſet. Ille receſſit: recedenti Monachus unum de famulis ſuis aſſociavit, qui ſibi, quandiù voluit, ſervientis explevit officium.* 2°. Narrat ingrati crimen Epiſcopi: *Epiſcopus cum famulo locutus, cœpit ab ipſo innocentis hoſpitis vitam non approbando, prout dignum fuerat, ſed reprobando inquirere: & quibus poterat verbis, vas charitate plenum conabatur incruſtare.* 3°. Fert ſententiam. *Quibus auditis, reſpondimus, hoc eſſe novum ſceleris genus, & in novi ſceleris facto, majorum neceſſe erat uti conſilio. Noſtræ autem parvitati videtur, quod non erat omninò Epiſcopus, qui tantæ pravitatis ſectabatur opus. Nec circa proximum ſe diligenter habebat, poſt cujus cibos tam nequiter eructabat.*

Ex quibus

Ex quibus luce clarius eſt, procacem hanc in B. Robertum Epiſtolam, nunquam à Goffrido Vindocinenſi fuiſſe conſcriptam. Si enim juxta præfatum Goffridum, Epiſcopus apud Monachum hoſpitatus, ab illo cum gaudio & honore ſuſceptus, novum patravit ſceleris genus, & nomine Epiſcopi fuit indignus, quia iſtius Monachi vitam non approbando, ſed reprobando inquiſivit; nonne ſimiliter Abbas apud Robertum diverſatus, & ab illo honorificè exceptus, incidiſſet in novum criminis genus, & Abbatis nomine fuiſſet indignus, ſi Roberti vitam, non approbando exploraſſet, ſed improbando? porrò Goffridus Abbas Vindocinenſis apud Robertum ſæpenumerò fuit diverſatus, ab illo & ejus alumnis honoratè ſuſceptus, cum Moniales exhibuiſſe ſibi miniſterium ipſe dicat, dum gibbus ſuus reſecaretur; ſi autem injurioſam hanc ſcripſiſſet Epiſtolam, vitam B. Roberti reprobando inquiſiſſet; non inquiſiſſet ſolùm à famulo, ſed ab ipſo Roberto. *Hoc ſi modò agis, vel aliquandò egiſti.* Non inquiſiſſet ſolùm reprobando, ſed etiam irridendo. *Hoc ſi modo agis, vel aliquando egiſti, novum & inauditum, ſed infructuoſum martyrii genus inveniſti.* Igitur Goffridus ex ore ſuo, novo ſceleris genere pollutus fuiſſet, & Abbatis nomine indignus. Quis autem ipſum exiſtimet tanti criminis reum? criminis etiam, quod tam acriter reprehendit, tam vehementer deteſtatur, quod horrere ſe plurimùm, profitetur.

Reſpondet P. Alexander, pag. 640. † Deficere hoc ratiocinium videtur; cum aliud ſit de alicujus « vita & moribus alios interrogare maledicendo, ut- « que ipſi noceas; aliud amicum monere de ſiniſtris ru- « moribus qui adverſùs ipſum ſparguntur, ut ab iis « caveat, eaque emendet, quæ carpuntur à nonnullis, « ſi vera ſint. Primum invidiæ odiique fructus eſt, ſo- «

„ cundum pietatis & charitatis. Illud ſcelus eſt ingrati
„ Epiſcopi, quem meritò Goffridus reprehendit: iſtud
„ amici officium, quod Religioſus Abbas erga vene-
„ rabilem Robertum implevit.

At hæc ipſa Prædicatoris reſponſio potius deficit. Oſtendimus enim invictè, ſcriptorem Epiſtolæ B. Robertum inimicè, contemptim, & irriſoriè monuiſſe. Monitio autem irriſoria, ſive acerbiſſima proximi deriſio dicine queit *fructus pietatis & charitatis?* eſtne amici officium? ſimilis forſan amicorum Job, de quibus ſanctus Gregorius 5. Moral. cap. 11. loquens, ait. *Amici Iob à reverentiâ manſuetæ locutionis incipiunt, ſed uſque ad jacula aſperrimæ invectionis erumpunt: ſicut radices ſpinarum molles ſunt, ſed tamen ex ipſâ mollitie proferunt unde pungant.* Ab hoc officio amicum ſuum nemo non exemerit.

SUBSECTIO SECUNDA.

Siniſtra apud populum diſcurrens fama à Goffrido damnatur, & deſpicitur.

SI hanc Goffridus ſcripſiſſet Epiſtolam, ad eam ſcribendam haud dubiè motus fuiſſet ſiniſtrâ de B. Roberto apud populum diſcurrente famâ, ut eadem in Epiſtolâ habetur: atqui Goffridus non fuit is, qui ſiniſtrâ apud populum diſcurrente famâ moveretur, ſed potiùs quemlibet ſimilem rumorem ſpreviſſe ſemper ac damnaſſe patet ex Epiſtolâ 46. immediatè contumelioſam in B. Robertum præcedente, hoc titulo. *Goffridus Vindocinenſis I. Priori, & cæteris omnibus. Mandaſtis nobis, quod dictum vobis fuerat, quòd Herbertus Presbyter de Saviniaco quam-*

Digitized by Google

illam maritatam tenebat, cujus maritum nocte graviter vulneravit, eò quod propriæ uxori adulterini amoris habenas non relaxabat. En ſiniſtra de Herberto Preſbytero apud populum diſcurrens fama: hanc autem damnat Goffridus his verbis. *Nos tamen non decet, & ſecundùm canones nulli licet, in incertâ re certam ſententiam dare: nec iſta nobis, ſed ab Epiſcopo ſuo ſunt examinanda.* Et mox eamdem apud populum diſſeminatam famam aſpernatur. *Ducendus eſt*, inquit, *populus, non ſequendus, nec recipiendus in accuſatione Clericorum. Et verum eſt proverbium iſtud: præcedere debet qui ducit aſellum. Populus eſt aſellus, quem vos præcedere & ducere debetis, non ſequi eum.* Ubi evidentiſſimè Goffridus ſiniſtram de Herberto, ſimplici Preſbytero, apud populum diſcurrentem famam deſpicit & condemnat. Nonne igitur multò magis injurioſum ſpreviſſet & culpaſſet de B. Roberto rumorem? & quidem de Roberto, omnium laudibus celebrato? de Roberto, amico ſuo? de Roberto, Sanctiſſimi Ordinis Inſtitutore? quomodò itaque hujuſmodi rumore ad tam acerbam illi ſcribendam Epiſtolam inductus fuiſſet?

Reſpondet P. Alexander pag. 641. Goffridum Abbatem ſiniſtro rumori non crediďiſſe. Probat, tum quia conjunctione, *ſi*, uſus eſt. *Quæ ſi vera ſunt, quod ſi ita eſt.* Tum quia ſanctis Roberti precibus ſe commendat. *Nemo verò*, inquit P. Natalis, *ejus ſanctas preces exiſtimaret, aut iis ſe commendaret, quem cum fœminis, & inter fœminas noctu cubare, & novum illud martyrii genus inveniſſe crederet.* Fateor Goffridum huic ſiniſtro rumori fidem non adjunxiſſe, quamvis allatæ à P. Alexandro conjecturæ id minimè probent. Nam ſecundæ ſcriptor Epiſtolæ conjunctionem *ſi* etiam adhibuit; & ſanctas Roberti

Digitized by Google

preces expetiit : indene colliget Prædicator ſcriptorem hunc ſiniſtræ de Roberto famæ fidem derogaſſe ? ipſum forſan prohibebit iſta, in quam propendet ſententia, *Roſcelinum, aut quemdam ex ſecularium Clericorum ordine, invidentiæ œſtro percitum, contumelioſam illam Epiſtolam ſcripſiſſe atque vulgaſſe*, qui non modo ſiniſtro huic fidem tribuit rumori, ſed alios etiam in ſuam opinionem adducere conatus eſt. Miſſis ergo P. Alexandri conjecturis, in ſequenti ſectione planum faciemus aliis momentis, & Goffridum ſiniſtro rumori non crediſſe, & fabricatorem Epiſtolæ illi addidiſſe fidem. Interim ex eo patet, quòd ſiniſtrum hunc rumorem non ſpreverit. Si enim ſpreviſſet, quomodo ad tam aculeatam Roberto Arbriſſellenſi ſcribendam Epiſtolam, hujuſmodi rumore fuiſſet impulſus ?

SECTIO QUINTA.

Quintum argumentum proponitur, ex quibuſdam loquendi formulis Goffrido Vindocinenſi tritis, repetitum.

CRIMINOSÆ hujus artifex Epiſtolæ Robertum his verbis admonet. *Te talia egiſſe, & adhuc agere fama diſcurrente ſiniſtrâ audivimus;* QUÆ SI VERA SUNT, *ut nulla excuſatione illa defendas, ſed cum omni feſtinatione illa corrigas, tuam ſimplicitatem commonemus*. Et infrà. *Illis ſiquidem te ſemper ſermone jocundum oſtendis, & alacrem actione. Aliis verò, ſi quando cum ipſis loqueris, ſemper locutione nimis durus appares, nimis diſtrictus correctione.* QUOD SI ITA EST, *In utroque vehementer offendis.* Ex quibus quintum hoc eruo argumentum.

Si hanc Epiſtolam ſcripſiſſet Goffridus, non dixiſſet duntaxat, *quæ ſi vera ſunt*, ſed ſubdidiſſet, *imò quia verum eſſe jam ex parte cognoſcimus*, ut in Epiſtola 8ª. lib. 3. *Rainaldo Andegavenſi Epiſcopo* inſcriptâ. Ubi enim hæc de calumniâ retulit, quam in ſuum adhibuit Monachum Abbas ſancti Nicolai. *Calumniam quam Abbas B. Nicolai in Monachum ſuum abſentem quidem, ſed quem ipſe abſentaverat, protulerit, audivimus; & quia crimen ſacrilegii, ſeductionis, & Monaſterii ſui diſſipationem in eum intenderit, quoniam præſentes eramus, ignorare non poſſumus. Ad cujus objecta Monachus, quia laicus eſt, non latinâ, quam non didicit, linguâ, ſed maternâ reſpondet, & dicit, in hoc tantummodò ſe eſſe culpabilem, quod Abbati, ut ſe abſentaret, præcipienti obedivit.* Statim ſubdit. QUOD SI VERUM EST, IMMO QUIA VERUM ESSE IAM EX PARTE COGNOVIMUS; *Abbas contra nos nec indignari rationabiliter, nec juſtè de nobis conqueri potuit, ſi veritatis cauſam ſuſtinemus.*

Similiter non dixiſſet tantùm, *quòd ſi ita eſt*, ſed addidiſſet, *imò quia ita eſſe ingemiſcimus*, ut in Epiſtola 7. ejuſdem libri, & ad eumdem *Rainaldum* datâ, in quâ poſtquam aſſeruit ſe accepiſſe, *Comitem* (Andegavenſem) *ſanctam Eccleſiam pretioſo Dei, & Domini noſtri Jeſu Chriſti Sanguine à Diaboli ſervitute redemptam, jugo ſervitutis iterùm velle ſubjicere.* Statim addit. UNDE SI ITA EST, IMMO QUIA ITA ESSE INGEMISCIMUS, *Oportet vos Chriſtianæ legis auctoritate monitum ſimul & munitum, ejus temerarios conatus, quibus membra Chriſti perſequitur, adnullare.*

Vel etiam non dixiſſet ſolummodò, *quòd ſi ita eſt*, ſed adjunxiſſet, *immò quoniam ita eſſe credimus*,

ut Epiſt. 42. lib 4. quam ſic incipit. *Pervenit ad aures noſtras de vobis irreligioſa, & inordinata prorsùs opinio. Dictum eſt enim, quod contra Regulam, quam coram Deo, & ſanctis ejus vos obſervaturos promiſiſtis, carnes ſolemniter, & generaliter manducatis.* Et mox ſubdit. UNDE SI ITA EST, IMO QUONIAM ITA ESSE CREDIMUS, *veſtræ intemperantiæ vehementer condolemus, & ne ulterius fiat, Regulæ vobis auctoritate prohibemus.*

Huic argumento, reſpondebit P. Alexander, Goffridum tales loquendi formulas non aſciviſſe, quia ſiniſtro de B. Roberto diſcurrenti rumori non credidit. Fateor non crediſſe: tum ex omiſſis hujuſmodi loquendi formulis: tum ex ſiniſtrâ apud populum diſcurrente famâ ab eo contemptâ, & damnatâ: tum ex frequentibus ipſius itineribus ad Font-Ebraldenſe cœnobium, quod ſine dubio non petiſſet, ſi tam pudenda ibi geri vel geſta eſſe accepiſſet: tum ex conflatâ cum Roberto & Monialibus ejus ſocietate, quam certiſſimè non iniſſet, ſi eos tam execrandi ſacrilegii reos exiſtimaſſet. Fateor, inquam, Goffridum non crediſſe: ſed ſimul etiam infero præfatæ Epiſtolæ non poſſe dici vel eſſe autorem. Hic enim ſiniſtræ de B. Roberto famæ (ſi tamen percrebuit) fidem adjunxit.

Patet 1°. Ex duplici hujus Epiſtolæ titulo. Primus ſic habet. *Goffridus Vindocinenſis Monaſterii humilis ſervus, ſuo in Chriſto multùm dilecto fratri Roberto, ſervare modum diſcretionis, & terminis quos patres poſuerunt eſſe contentum.* Supponit igitur ſcriptor, Robertum *minimè ſervare modum diſcretionis, nec terminis, quos patres poſuerunt, eſſe contentum.* Secundus verò titulus his verbis concipitur. *Ad Robertum de Arbriſſello procuratorem*

Digitized by Google

ſanctimonialium de Fonte-Ebraldi : in qua hortatus eſt eum , ut magis diſcretè ſe haberet circa ſexum fœmineum. At, qui hunc titulum præfixit, nonne ſenſit Robertum *non ſatis diſcretè circa ſexum fœmineum ſe habere ?* adverbium *magis* id clariſſimè indicat.

Patet 2°. Ex intentato infamiæ , damnationiſquè terrore. *Ergo ſtans in monte vide ne corruas : nec per martyrium martyribus ſanctis penitus ignotum religioſæ vitæ principio notam infamiæ derelinquas.* Item. *Nullâ etiam tuâ actione mundo , qui penè totus te ſequitur , ſuſcites ſcandalum , nam fieret tibi damnatio gravior, ruina plurimorum.* Cui verò infamiam , vel damnationem minitamur? Nonne graviter delinquenti , aut illi ſaltem , quem credimus in aliqua re graviter delinquere ?

Patet 3°. Ex ſubjunctis acerbis irriſionibus. *Hoc ſi modo agis , vel aliquando egiſti , novum & inauditum , ſed infructuoſum martyrii genus inveniſti.* Item , *mulierum accubitu novo quodam martyrii genere cruciaris.* Quis autem ex peccatoribus acerbiſſimè deridendus , niſi in vitiis, libidinibus , & peccatis obfirmatus ? juxta illud proverb. 1. v. 24. *Vocavi & renuiſtis , deſpexiſtis omne conſilium meum , & increpationes meas neglexiſtis. Ego quoque in interitu veſtro ridebo & ſubſannabo.* In quorum numero Robertum habet proculdubio ſcriptor, dicens. *Cum ipſis etiam , & inter ipſas noctu frequenter cubare non erubeſcis.* Item. *Omne genus humanitatis eis exhibes nullâ ſervatâ parcitate.* Item , *alias verò fame , ſiti ac nuditate crucias , omni relictâ pietate.* An acerbiùs , an petulantiùs , an contumelioſiùs in Robertum invectus eſſet , ſi tot & tantorum ſcelerum reum eum crediditſſet ? Nec refert , quod particulam *ſi* adhibuerit. Eâ enim fraudulenter uſus eſt ,

Digitized by Google

ut liquet ex vehementibus ſubjunctis objurgationibus, quas nemo tamen dubitans adhibet. Deinde nonne ſecundæ Architectus Epiſtolæ eamdem particulam uſurpavit, qui nihilominus, ipſo P. Alexandro teſte, minime videtur dubitare?

Quid plura? credentis ſcriptoris autoritate ductus, ipſe credidit Sirmondus, qui in indice dixit de Roberto. *Mira ejus ſimplicitas, & confidentia.* An verè, an prudenter, an piè, ſecum recogitet Prædicator? recogitet, inquam, an iſtius criminis neceſſaria pœnitentia non eſſet? recogitet, an indecorè palinodiam Sirmondus recantaſſet? niſi recantaverit, iiſdem verbis de eo conqueri potero, quibus de Florentio Pupiano ſanctus expoſtulabat Cyprianus, „ Epiſt. 69. * Ego te, frater, credideram tandem jam „ ad pœnitentiam converti, quòd in præteritum tam „ infanda, tam turpia, tam etiam gentilibus execranda, „ aut audiſſes de nobis temerè, aut credidiſſes. Porrò „ autem etiam nunc (*ſi P. Alexandro potiùs fidem* „ *adjungam, quàm P. Bollando*) animadverto eumdem „ te adhuc eſſe, qui priùs fueras, eadem te de „ nobis credere, & in eo quod credideris perſeverare..... „ Prævaluit autem apud te contra divinam ſententiam, „ & contra conſcientiam noſtram fidei ſuæ viribus nixam, „ inimicorum & malignorum commentum; quaſi „ apud lapſos & prophanos, & extrà Eccleſiam poſitos, „ de quorum pectoribus exceſſerit Spiritus Sanctus, „ eſſe aliud poſſit niſi mens prava, & fallax lingua, & „ odia venenata, & ſacrilega mendacia, quibus qui „ credit, cum illis neceſſe eſt inveniatur, cum judicii „ dies venerit.... Dixiſti ſanè ſcrupulum tibi eſſe tollendum „ de animo, in quem incidiſti. Incidiſti, ſed tua „ credulitate irreligioſa. Incidiſti, ſed tua mente, & „ voluntate ſacrilega, dum inceſta, dum impia, dum „ nefanda contra fratrem, contra Sacerdotem facilè

audis, libenter credis; aliena mendacia, quaſi pro- «
pria & privata defendis; nec recordaris ſcriptum «
eſſe: Sepi aures tuas ſpinis, & noli audire linguam «
nequam. Et iterum. Malus obaudit linguæ iniquo- «
rum, juſtus autem non intendit labiis mendacibus.) «
Iiſdem propemodùm verbis, de Sirmondo certè potero queritari, ni hanc falſam & imprudentem, quam teſtificantibus improbis & hæreticis emiſit de Roberto, propoſitionem revocaverit, (*Mira ejus ſimplicitas, & confidentia.*)

SECTIO SEXTA.

Sextum argumentum proponitur, ex Vindocinenſi & Cœnomanenſi codice ſuppeditatum.

SATISNE jam compertum, petulantem hanc Epiſtolam Goffrido fuiſſe ſuppoſitam? ac ne in Vindocinenſi quidem Cœnobio extat in codice M. S. opuſculorum & Epiſtolarum Goffridi ipſiuſmet loci Abbatis: quod teſtatus eſt, & propriâ manu ſubſcripſit Prior ejuſdem Abbatiæ, ac poſteà totius Congregationis Præpoſitus Generalis, Reverendiſſimus Pater Marſolle, ſervaturque in Font-Ebraldenſi tabulario, hoc tenore.

* Nos Frater Vincentius Marſolle, Monaſterii «
Sanctiſſimæ Trinitatis Vindocinenſis. Congregationis «
ſancti Mauri humilis Prior. Notum facimus præſen- «
tibus & futuris, quòd in veteri codice originali ma- «
nuſcripto operum venerabilis Domini Goffridi, quon- «
dam Abbatis dicti Monaſterii, in cujus Bibliothecâ «
præfatus codex aſſervatur, non reperitur quædam «
Epiſtola, à Reverendo Patre Jacobo Sirmondo So- «
cietatis Jeſu inſerta in operibus dicti Domini Goffri- «

„ di, ipſius ſtudio impreſſis, quæ eſt quadrageſima ſe-
„ ptima libri quarti, inſcribiturque. *Goffridus Vindo-*
„ *cinenſis Monaſterii humilis ſervus, ſuo in Chriſto*
„ *multùm dilecto fratri Roberto, ſervare modum diſcre-*
„ *tionis, & terminis, quos patres poſuerunt, eſſe conten-*
„ *tum.* Quodque teſtamur poſt evolutum, terque qua-
„ terve examinatum dictum codicem. Datum in prædi-
„ cto Monaſterio Vindocinenſi, ſub ſigno noſtro, &
„ ſigillo ejuſdem Monaſterii, necnon ſigno Bibliothe-
„ carii noſtri, anno Domini milleſimo ſexcenteſimo
„ quinquageſimo ſecundo, die tertio Februarii. *Ubi*
„ *tria occurrunt notanda.*

Primò. Reverendus Pater Prior codicem Vindocinenſem appellat *codicem originalem*. 2°. Notum facit præſentibus & futuris, quòd in *iſto codice originali* non reperiatur quædam Epiſtola à reverendo Patre Sirmondo inſerta in operibus Domini Goffridi, ipſius ſtudio impreſſis, quæ eſt quadrageſima ſeptima lib. quarti. Quid? quòd ipſe Sirmondus fatetur ſe in editione Epiſtolarum laudati Goffridi, præcipuè ſecutum eſſe codicem Cœnomanenſem, quod in Vindocinenſi non omnes extarent. 3°. Teſtatur non reperiri poſt evolutum, terque quaterve examinatum dictum codicem: unde ſpes reperiendi poſteà ignominioſam hanc in præfato codice Epiſtolam, præciſa penitùs eſt.

Reſpondet P. Alexander pag. 635. *Cœnomanenſis codex antiquitate venerandus, hanc, de quâ diſſerimus, Epiſtolam exhibet, eâdem manu ſcriptam, quâ cæteras.* Debilis eſt ratio. Si cujus eſſet ponderis, aſſerere quiſpiam poſſet ſecundam Epiſtolam eſſe à Marbodo datam, quamvis P. Alexander pag. 679. ſcribat. *Graves conjecturæ non deſunt, quæ dubium faciant, an à Marbodo Redonenſi Epiſcopo hæc Epiſtola ſcripta ſit ad venerabilem Robertum de Arbriſ-*

Digitized by Google

de Arbriſſello. Nonne enim, inquiet ille, Redonis cum aliis ejuſdem Epiſcopi operibus fuit anno 1524. edita? Aſſerere poſſet, eamdem Epiſtolam fuiſſe ab Hildeberto Turonenſi Archiepiſcopo conſcriptam; quamvis aliter ſentiat P. Alexander pag. 680. *Nec etiam ab Hildeberto*, inquit, *cujus inter Epiſtolas extat in manuſcripto Victorino, ſcriptam hanc Epiſtolam crediderim.* Nonne enim, urgebit iterùm, Pariſiis in manuſcripto Victorino inter Hildebertinas reperitur, eâdem, quâ cœteræ, manu exarata? Cur ergo contendit Prædicator Goffridum Vindocinenſem prædictæ autorem eſſe Epiſtolæ, quia *Cœnomanenſis codex antiquitate venerandus, banc, de quâ diſſerimus, Epiſtolam exhibet eadem manu ſcriptam, quâ cœteras?* Maximè cum non extet in Vindocinenſi codice, qui antiquitate, (ut pote originalis teſte Reverendiſſimo P. Marſolle,) Cœnomanenſi codici facilè antecellit. Ego verò opinor inſuper ipſius Goffridi manuſcriptum; quia in quartâ ejuſdem codicis paginâ depictus eſt idem Goffridus, indutus caſulâ in cuſpidem deſinente, altero genu nixus, cum hac epigraphe: *hic eſt Goffridus peccator.* Quam quidem, mortuo Goffrido, nemo auſus eſſet appingere. Appictam autem à Goffrido indicat ſimilis inſcriptio Epiſt. 5. lib. 1. ab ipſomet præfixa. *Glorioſæ ac venerabilis vitæ patri, & Domino Paſchali, ſanctæ & Catholicæ Romanæ Eccleſiæ Pontifici, frater* GOFFRIDUS PECÇATOR *dictus Abbas Vindocinenſis.*

Si quæras, qualiter ſe habeat codex ille Cœnomanenſis? R. 1°. Sic ſe habere. Nempe codex ille eſt in quarto: initio cujus additum eſt folium, recenti ſcripturâ inſcriptum, *autographum.* Pars elenchi de Roberto non eſt eadem manu, ac corpus ejuſdem codicis, ſed triplici manu diverſa, ut videre eſt,

Digitized by Google

conſcripta. Diſcrepant etiam in eo quòd in corpore codicis habeatur, pag. 94. abſque intercapedine. *Goffridus Vindocinenſis Monaſterii humilis ſervus, ſuo in Chriſto multùm dilecto fratri Roberto, ſervare modum diſcretionis, & terminis, quos patres poſuerunt, eſſe contentum. Novit chariſſime, & benè novit tua dilectio, &c.* In elencho verò codicis, leguntur hæc hac formulâ & figurâ ridiculâ exarata, ac diſpari quidem manu.

Fœmineum
Diſcretè ſe habeat circa ſexum
In quâ hortatus eſt, ut magis
De Fonte-Ebraldi ſanctimonialium.

Epiſtola 18. ad Robertum de Arbriſſello procuratorem.

R 2°. Imprudenter iſtâ ex parte elenchi codicis Cœnomanenſis dijudicatum eſſe, contumelioſam hanc Epiſtolam ad B. Robertum ſpectare: huic enim elencho diffidere quilibet debuit, cum à corpore codicis diſcrepet notabiliter. 1°. In corpore codicis dativus caſus ponitur, *dilecto fratri Roberto.* In elencho verò accuſativus caſus adhibetur. *Ad Robertum.* 2°. In corpore codicis legitur tantummodò, *fratri Roberto ſervare modum diſcretionis, &c.* In elencho verò legitur cum multiplici addito. *Ad Robertum de Arbriſſello procuratorem ſanctimonialium de Fonte-Ebraldi.* 3°. Pars iſta elenchi non eſt eâdem manu, ac corpus codicis, ſed triplici diverſâ manu conſcripta, & tribus quidem aut quatuor temporis intervallis, formulâ & figurâ ſupradictâ: ex quo patet, quòd quilibet ei ad arbitrium addiderit,

SECTIO SEPTIMA.

Septimum argumentum proponitur, ex ſacræ Scripturæ Sententiis ab autore Epiſtolæ laudatis, erutum.

SCRIPTOR Epiſtolæ Roberto periculum intententat ex variis ſacræ Scripturæ ſententiis. *Cum muliere non accumbas, nec ſis aſſiduus cum eâ, ne fortè ſcandalizeris in pulchritudine illius, & pereas.* Item. *Mulier pretioſas animas capit.* Item. *A Muliere initium factum eſt peccati, & per illam moriuntur homines univerſi.* Quis autem dicat hujuſmodi ſententias fuiſſe à Goffrido Vindocinenſi collectas ? qui quamvis de bonitate & ſexûs fœminei malitiâ frequentem habeat ſermonem, nuſquam tamen ad alterutram ſuadendam, Sripturæ ſacræ loca, ſed exempla duntaxat producit, ut planum eſt ex Epiſt. 26. lib. 1. *Præterea ſexum fœmineum, quem etiam amicis novimus inimicum, inimicari nobis, & in itinere inſidiari, verâ relatione didicimus.* Ex Epiſtola 21. lib. 3. *Vſitatus eſt valdè ad decipiendum ſexus fœmineus. Sexus enim iſte ſuâ ſuaſione decepit hominem primum, ſuaque interrogatione circumſcripſit Apoſtolum Petrum. Illum ad prævaricandum impulit, hunc compulit ad negandum.* Ex Epiſtola 24. lib. 4. *Chariſſimi, mirari nolite, quòd ad vos venire differo: quia ſexum illum mihi ſuſpectum invenio, quem nec amicis benè fiſum agnoſco. Sexus iſte noſtrum primum venenavit parentem, ſuum quoque maritum & patrem: jugulavit Joannem Baptiſtam: inimicis ſuis fortiſſimum tradidit Samſonem: quodam etiam modo interfecit Salvato-*

Digitized by Google

rem : quia niſi ejus culpa exigeret, Salvator noſter pro nobis mori neceſſarium non haberet. Heu quantos jam perdidit! quos adhuc poteſt perdere non deſiſtit.

Demùm ex Epiſtola 43. ejuſdem libri. *Nuntiatum eſt nobis, quia tantam ſecularium hominum, & quod periculoſius eſt, mulierum frequentiam vobiſcum eſſe patimini; quòd vix aut nunquam quæ Dei ſunt loqui poteſtis, vel meditari. Et ubi inordinatè ſecularis eſt aſſiduitas, diù deeſſe non creditur grandis iniquitas: maximè in loco, in quo ſexus fœmineus habitare permittitur, per quem etiam Religioſæ perſonæ ſuſpectæ habentur. Sexus tamen ille, ubi bonus, nullus melior: ſed ubi malus, nullus eſt peior.* Hîc agit Goffridus de conſuetudine cum mulieribus: hanc exiſtimat periculoſam, infeſtam, exitioſam; nullis tamen id adſtruit ſacræ Scripturæ ſententiis, quamvis ſibi ſubditos Monachos alloqueretur, moneret, cohortaretur. Nonnè magis appoſitè, magis accomodatè, magis opportunè ſacrarum loca litterarum ad iſtos à nimia mulierum familiaritate deterrendos adhibuiſſet, quam ad avertendum Robertum de Arbriſſello, infinitæ ſcilicet Religionis Preſbyterum, concionatorem Apoſtolicum, virum virtute & doctrinâ ornatiſſimum, qui omnia hujuſmodi teſtimonia cognita habebat, & ut ita dicam, animo comprehenſa?

Eſt & aliud triplex diſcrimen. Autor Epiſtolæ 47. blandum titulum appoſuit. *Obedire Deo, magis quam hominibus.* Objurgatorium ſcriptor Epiſtolæ 47. *Servare modum diſcretionis, & terminis, quos patres poſuerunt, eſſe contentum.* Ille nullis mordacibus dictis carpit: iſte acerbis & aculeatis verbis configit. *Hoc ſi modo agis, vel aliquando egiſti, novum & inauditum ſed infructuoſum martyrii genus*

Digitized by Google

invenisti. Ille ſubtimidè infamiam denuntiat. *Ne fortè ordini veſtro, quod abſit, acquiratis infamiam.* Iſte infamiam & damnationem audacter & liberè comminatur. Infamiam quidem. *Ergo ſtans in monte, vide ne corruas: nec per Martyrium Martyribus ſanctis penitùs ignotum, religioſæ vitæ principio notam infamiæ derelinquas.* Damnationem verò. *Nulla etiam actione mundo ſuſcites ſcandalum: nam fieret tibi damnatio gravior, ruina plurimorum.* Et poſt tam multiplicem tamque manifeſtam inter has duas de eâdem materiâ Epiſtolas diſcrepantiam, exiſtimabit aliquis quadrageſimam ſeptimam verum ac genuinum Goffridi fœtum?

SECTIO OCTAVA.

Octavum argumentum proponitur, ex rationibus, quibus R. P. Alexander ſecundam Marbodo abjudicat Epiſtolam, deſumptum.

PRIMA ratio. † Marbodus, *inquit*[a], non poterat non noſſe venerabilem Robertum de Arbriſſello, & ſanctam ipſius converſationem perſpectam non habere, qui quatuor annos ſub Silveſtro deceſſore ſuo, Eccleſiæ Rhedonenſis Archipreſbyter fuerat, ac diœceſeos reformationem multùm promoverat: deinde in ſcholis ab ipſo Marbodo Andegavi, cum illius Eccleſiæ Archidiaconus eſſet, erectis, ſolido biennio docuerat; poſteà Abbatiam de Rotâ in eadem diœceſi Andegavenſi fundaverat, ibique Regulares Canonicos congregaverat; ac demùm in hac & finitimis diœceſibus ſacras conciones habebat Apoſtolicus prædicator, innumeros ſexûs utriuſque homines ad meliorem frugem convertebat, & eximiarum circumqua-

a Pag. 679.

„ que diffundebat odorem virtutum. At Epiſtolæ hujus
„ autor venerabilem Robertum de Arbriſſello noſſe
„ non videtur, dequo tam probroſa, tam falſa, tam
fictitia ſcribit.] Nonne verò etiam Goffridus Vindocinenſis Robertum de Arbriſſello cognitum habebat, quem frequenter inviſerat, à quo honorificè fuerat Fonte-Ebraldi exceptus, cum quo ſanctiſſimam inierat ſocietatem? at ſcriptor Epiſtolæ, quæ ipſi tribuitur, perſpectam habere non videtur inſignem ſancti Fundatoris virtutem, de quo tam contumelioſa, tam falſa, tam commentitia refert. *Fœminarum quaſdam, ut dicitur, nimis familiariter tecum habitare permittis: & cum ipſis etiam & inter ipſas noctu frequenter cubare non erubeſcis.* Et infrà. *Illis ſiquidem te ſemper ſermone jocundum oſtendis, & alacrem actione, omneque genus humanitatis exhibes nullâ ſervatâ parcitate.* Et iterùm. *Aliis verò, ſi quando cum ipſis loqueris, ſemper locutione nimis durus appares, nimis diſtrictus correctione: illas etiam fame, & ſiti ac nuditate crucias omni relictâ pietate.*

„ Secunda ratio. † Marbodum piiſſimum præſulem
„ tam immanes calumnias patulis auribus excepiſſe, &
„ non tantùm duram, ſed petulantem, illuſoriam, in-
„ ſultabundam Epiſtolam, ad Sacerdotem, conciona-
„ torem Apoſtolicum, Abbatem, virum ſanctitatis &
„ doctrinæ famâ celebrem ſcripſiſſe, nemo ſibi facilè
„ perſuadeat.) Quidni idem de Goffrido florentiſſimæ & pietatis & doctrinæ Cardinali ſentire & aſſerere liceat? ſcilicet ipſius aures atrocibus calumniis patuiſſent? & *non tantùm duram, ſed petulantem, illuſoriam, inſultabundam Epiſtolam* infinitæ Religionis Preſbytero, prædicatori Apoſtolico, & Sanctiſſimi Ordinis inſtitutori dediſſet? quis ſic apud animum ſuum ſtatuat?

CAPUT

CAPVT SECVNDVM.

Impugnatur ſecundæ titulus Epiſtolæ.

TITULUS Epiſtolæ *Minimus Epiſcoporum Roberto ſervo Dei, non ſolùm rectè offerre, ſed & rectè dividere*, pluribus evertitur rationibus.

SECTIO PRIMA.

Prima ratio petita ex aliquibus opuſculis Marbodo ſuppoſitis.

STEPHANUS Fulgenſis loquens de Marbodo, ait. *Extant etiam hodie verſus inerudîti, ut temporibus illis: quamvis non omnes, qui ejus nomine circumferuntur, verè ſint ipſius.* Quidni igitur etiam ſub nomine ejuſdem Marbodi prædicta circumferatur Epiſtola, quamvis ab eo non fuerit verè conſcripta. Nedùm quia Andegavi non extat in codice originali opuſculorum hujuſce Pontificis; ſed & maximè, quia Pariſiis in manuſcripto Victorino Hildebertinas inter Epiſtolas reperitur. Manuſcriptum iſtud continet primò litteras, quas Hildebertus ſcripſit, cum Cœnomanenſi præeſſet Eccleſiæ. Sequuntur aliæ Epiſtolæ ab eodem Hildeberto conſcriptæ, cum eſſet Turonenſis Archiepiſcopus. Nam Epiſtola 84. ſic pag. 106. inſcribitur. *Humilis Turonum Archiepiſcopus.* Epiſtola 85. pag. 111. ſic. *Humilis Turonenſium miniſter.* Epiſtola 86. pag. 111. v. ſic. *Hu-*

milis Turonenſium Archiepiſcopus. Et ita de cæteris, quarum ultima, & numero nonageſima ſexta ea eſt, de quâ nunc ambigitur & contenditur, cui hic inditus eſt titulus. *Reprehendit quemdam, cujus Religio ſuſpecta habebatur.* Demùm eam immediatè excipit iſta inſcriptio. *Incipiunt ſermones ejuſdem Archiepiſcopi.*

At, colliget aliquis: prædicta igitur Epiſtola fuit ab Hildeberto Turonenſi Archiepiſcopo exarata; quod non minori dedecori erit Roberto, Ordinique Font-Ebraldenſi: Hildebertus enim, & eruditionis, & ſanctitatis celebritate claruit. An ita ſe res habeat, ex obitu Roberti, & Hildeberti ad Turonenſem Cathedram promotione non eſt operoſum dijudicare. Nempe Robertus, anno 1116. vel 1117. mortem cum vitâ commutavit: Hildebertus verò Turonenſis Archiepiſcopatûs inſignia ſuſcepit anno 1125. Quomodo itaque tunc hanc dediſſet B. Roberto Epiſtolam? An monetur, an corripitur vir à ſeptem octove annis demortuus? Sed iſtam ab Hildeberto, aut Cœnomanenſi præſule, aut Turonenſi Archiepiſcopo non eſſe conſcriptam Epiſtolam, ſequentes rationes probabunt invictiſſimè.

SECTIO SECUNDA.

Secunda ratio petita ex bona Roberti & Font-Ebraldenſium apud Goffridum, Marbodum, & Hildebertum exiſtimatione.

UTRIUSQUE ſcriptor Epiſtolæ malè, immò peſſimè de Roberto & ejus Monialibus exiſtimat. In primâ enim Epiſtolâ ait. *Cum ipſis etiam & inter ipſas noctu frequenter cubare non erubeſcis.* In ſe-

cundâ verò. *Has ergo non ſolùm communi menſâ per diem, ſed & communi accubitu per noctem dignatis.* Et infrà. *Taceo de juvenculis, quas ſine examine Religionem profeſſas mutatâ veſte per diverſas cellulas protinùs incluſiſti. Hujus igitur facti temeritatem miſerabilis exitus probat. Aliæ enim urgente partu, fractis ergaſtulis elapſæ ſunt, aliæ in ipſis ergaſtulis pepererunt.* At contrà Goffridus, Marbodus, & Hildebertus magnam, ſinceram, & incorruptam de Roberto & ejus alumnis habebant opinionem. Goffridus enim Epiſtolâ 32. lib. 4. *Deo dilectas*, ut retulimus, Font-Ebraldenſes vocavit Moniales; & ex chartulario Ordinis, arctiſſimam cum iiſdem conflavit ſocietatem, ut ſibi defuncto juſta exeuntis anni feralia redderentur.

Marbodus verò Eccleſiam *de Arbriſſel* conceſſit Roberto, *viro* ut potè *magnæ autoritatis, & infinitæ Religionis*. Ita habetur in chartulario B. Mariæ de Rotâ. *. Noſcant poſteri & præſentes qualiter Eccleſia de Arbriſſel fuit data Eccleſiæ ſanctæ Mariæ de Rotâ cum omnibus appendiciis ſuis, &c. ROBERTO DE ARBRISSEL VIRO MAGNÆ AUTORITATIS, ET INFINITÆ RELIGIONIS verbum Dei per diverſa loca ſeminante, multi ad ſuſcipienda grana tanti ſeminis convenêre. Inter quos adfuit Hervæus de Spinâ vir magnæ nobilitatis, qui primus ſuſceptâ gratiâ verbi divini Robertum ſupradictum mercede ſua remuneravit. In eodem namque loco dedit ei Eccleſiam de Arbriſſel, cum omnibus ad eam pertinentibus ob remedium animæ ſuæ, & animabus anteceſſorum ſuorum. QUOD DONUM CONCESSIT MARBODUS REDONENSIS EPISCOPUS, Rogerio Archidiacono deprecante.

Hildebertus etiam Fontis-Ebraldi Moniales appellat *Virgines Chriſti, quarum apud Deum mentis*

puritas innoteſcit: & quæ ad promerendam ſervorum Dei gratiam ipſæ ſibi ſolæ ſufficiunt. Epiſtolâ 69. „ ad Honorium ſecundum. Hoc titulo. * Honorio re„ verendiſſimo Patri ſuo, ſanctæque Romanæ Eccleſiæ „ ſummo Pontifici, Hildebertus humilis Turonum mi„ niſter debitæ perſeverantiam obedientiæ. Et relatione „ plurimorum didicimus, & re ſumus experti, quòd „ apud veſtram, ſanctiſſime Papa, vigilantiam, juſtæ „ petitiones debitum inveniant affectum. Unde & nos „ tam devotè, quàm fiducialiter id expetimus à vobis, „ quod & ſummum Pontificem erogare deceat, & Ec„ cleſiæ proſit erogatum. Sereniſſimus ſiquidem An„ glorum Rex Henricus Monaſterio de Fonte-Everardi „ quamdam in Anglia providit eleemoſynam pro re„ miſſione peccatorum ſuorum, eidem loco ſingulis „ annis in perpetuum exolvendam. Quam profectò „ eleemoſynam autoritate ſedis Apoſtolicæ confirmari, „ veſtroque muniri ſigillo, precibus multiplicatis, im„ ploramus. HANC AD VOS, BEATISSIME PA„ TER, INTERVENTIONEM PRO VIRGINI„ BUS CHRISTI SUSCEPIMUS; QUARUM SI„ CUT EXTERIOR EST APUD HOMINES CON„ VERSATIO, SIC APUD DEUM, PRO UT „ CREDIMUS, MENTIS PURITAS INNOTESCIT: „ Eapropter nolumus ancillis Chriſti noſtrum deeſſe „ interventum. Quod ſi non mereatur exaudiri à patre „ filius, mereatur tamen à Domino aliquam de pia vo„ luntate mercedem fidelis ſervus. In ſinu tamen no„ ſtro ſpes bona repoſita eſt, PRO EIS A PATRE „ FILIUM EXAUDITUM IRI, QUÆ AD PRO„ MERENDAM SERVORUM DEI GRATIAM „ IPSÆ SIBI SOLÆ SUFFICIUNT.) Quomodo jam prædictarum Epiſtolarum poſſent eſſe aut haberi autores? an benè, imò optimè, & ſimul malè imò peſſimè de Roberto & ejus Monialibus exiſtimaſſent?

Digitized by Google

an *Deo dilectæ* à Goffrido, *&* *Virgines Chriſti* ab Hildeberto fuiſſent nuncupatæ: an Roberto *infinitæ Religionis* laudem conceſſiſſet Marbodus? nonne potius *infinitæ* labem *irreligionis* aſperſiſſet?

SECTIO TERTIA.

Tertia ratio petita ex benevolentiâ, quâ Goffridus, Marbodus, & Hildebertus Robertum & ejus alumnos proſequebantur.

PROFITETUR utriuſque autor Epiſtolæ, ſe ea quæ ſcribit, fama diſcurrente ſiniſtra accepiſſe; ſæpiùs enim id repetit. In prima. *Te talia egiſſe, & adbuc agere famâ diſcurrente ſiniſtrâ audivimus, &c.* In ſecunda verò. *Cum quædam à te dici & fieri referuntur, quæ nec ſanæ doctrinæ, nec honeſtæ vitæ conveniant, &c.* Porrò ſiniſtra nunquam de B. Roberto diſcurrit fama, ut uberrimè ſuadebitur, cap. primo ſecundæ Diſſertationis, & toto tertiæ decurſu: quid itaque manifeſtius, quam utriuſque contumelioſæ Epiſtolæ autorem, ea quæ ſcribit, non accepiſſe, ſed dolosè ac nequiter adornaſſe? Cui autem credibile ſit Goffridum, Marbodum, & Hildebertum, Roberto & Font-Ebraldenſibus amiciſſimos, execrandas hujuſmodi contra ipſos commolitos eſſe calumnias? igitur utriuſque probroſæ Epiſtolæ non Goffridus, non Marbodus, non Hildebertus, ſed alius eſt autor impius.

Quòd autem iſti tres eximii viri, Roberto & alumnis ejus fuerint amiciſſimi, perſpicuum eſt. Nam Goffridus in Fontis-Ebraldi chartulario, præ omnibus Abbatibus prædicatur *familiaris, & beneficus*

Digitized by Google

Et ſexageſimæ nonæ ad Honorium ſecundum Epiſtolæ Hildeberti iſtud præeſt argumentum. *Henricus Anglorum Rex Monaſterio Fontis-Everardi dederat eleemoſynam quotannis perſolvendam. Petit Hildebertus tandem ſanctitatis ſuæ ſigillo muniri, & Apoſtolicâ autoritate confirmari.*

Marbodus quoque Eccleſiam *de Arbriſſel* condonavit Roberto, *viro magnæ autoritatis nec-non infinitæ Religionis*; & in Concilio Engoliſmenſi cum Hildeberto & pluribus aliis Epiſcopis, Font-Ebraldenſibus, anno 1118. favit inſigniter. * Ego Gerardus En-
„ goliſmenſis Epiſcopus, & ſanctæ Romæ Eccleſiæ Le-
„ gatus, notum fieri volo omnibus, & præſentibus,
„ & futuris, quod Monachi Nantolienſes, & Sancti-
„ moniales de Fonte-Ebraudi invitati ad Concilium
„ venerunt, quod Engoliſmæ Deo autore celebratum
„ eſt, propter querelam ſcilicet, quam ipſi Monachi
„ de loco qui Tucio dicitur, erga Dei ancillas habe-
„ bant: ipſum enim locum ſui juris eſſe dicebant. Con-
„ tra quam calumniam præfatæ Sanctimoniales ac Vuil-
„ lelmus Pictavenſis Epiſcopus canonicam chartam
„ fœlicis memoriæ Petri Pictavienſis antiſtitis præten-
„ derunt: in quâ concordia continebatur, quam præ-
„ dicto loco Galterius Abbas in Capitulo Nantolienſi
„ aſſenſu Monachorum ſuorum cum prædicto Petro,
„ & Fulcaldo Frenicardi ſolemniter egit, & irrevocabi-
„ liter prænominatis ſanctimonialibus conceſſit: pro
„ quâ etiam concordiâ ipſe Fulcaldus dedit eiſdem Mo-
„ nachis quatuor ſextarios in decima ſancti Medardi
„ de Vertolio, qui ſingulis annis redderentur. Oſten-
„ derunt nihilominùs privilegium Domini Papæ, cujus
„ autoritate prædicta charta atque concordia incon-
„ cuſſè, & inviolabiliter firmabatur. Ubi etiam præ-
„ fatis Monachis, & nominatim Burdegalenſi Metro-
„ politano, & univerſaliter omnibus omnis aditus ca-

Digitized by Google

lumniæ ſub anathemate perenniter claudebatur. Auditis itaque diligenter utriuſque rationibus, præcepimus Archiepiſcopis & Epiſcopis, ut euntes ad Concilium inde judicarent. Revertentes autem à Concilio, chartam tam fœlicis memoriæ Epiſcopi, & inſuper & privilegium Domini Papæ ſemper ratum, ſemper immobile permanere, & contra prædictam controverſiam ſufficere judicaverunt; & eaſdem ſanctimoniales prædictum locum quietè, & ſine omni calumnia perpetuò poſſidere, & deinceps Monachos ab earum inquietatione & perturbatione omninò deſiſtere. Hoc autem judicium judicaverunt venerabiles Patres Gillebertus Turon. Archiepiſcopus, cum ſuis Suffraganeis ILDEBERTO CENOMANENSI, MARBODO REDONENSI, Morvanno Venetenſi Epiſcopis. Vuillelmus Catalaunenſis, Gilbertus Pariſienſis, Joannes Aurelianenſis, Manaſſes Meldenſis Epiſcopi. Bernardus Auxienſis Archiepiſcopus cum ſuis Suffraganeis, Gregorio Begorrenſi, Guidone Lanſcurrenſi, Bertranno Vaſatenſi Epiſcopis. HOC AUTEM IUDICIUM IN CONCILIO RECITATUM, AB OMNIBUS LAUDATUM ATQUE CONFIRMATUM EST. (*Laudatum igitur atque confirmatum eſt ab Hildeberto, & Marbodo*) & ut hoc judicium firmius, & certius permaneat, propriâ manu ſubſcripſimus, & autoritatis noſtræ ſigillo muniri fecimus. Actum autem eſt hoc judicium Engoliſmæ, anno Incarnationis Dominicæ M. C. XVIII. Regnante Ludovico Rege Francorum.

Momentoſa reflexio.

Quis jam niſi voluntariis tenebris exoculatus credat apud Font-Ebraldenſem Ordinem Regularem viguiſſe diſſolutionem, alumnos B. Roberti moribus fuiſſe prolapſos, & ſiniſtrum de iiſdem percrebuiſſe

rumorem ? quomodò tot Archipræſules , tot Epiſcopi , tot Abbates congregati , de tam indomitis atque effrænatis cupiditatibus coërcendis & refrænandis non egiſſent ? aut ſcientes , aut neſcientes de illis tacuerunt. At in cujus mentem non omninò à rationis lumine deſertam venire poteſt neſcientes tacuiſſe ? nonne aderant Engoliſmenſi Concilio HILDEBERTUS , ET MARBODUS , qui hujus ſecundæ dicuntur Epiſtolæ fabricatores ? nonne aderant Monachi Nantolienſes cum Font-Ebraldenſibus litigantes , qui de eorum immoderatione dubio procul Patres Concilii commonefeciſſent ? nonne ſiniſter rumor , (ſi diſcurriſſet) eoſdem feciſſet certiores ? Quis etiam nonniſi poſt exutum ſenſum communem effutire præſumat , ſcientes tacuiſſe ? nunquid coacti non erant , ut legum contemptui , morum prolapſioni , & quibuſlibet ſcandalis mederentur ? Sed forſitan autoritas Font-Ebraldenſium , quorum inſtitutum Regina Bertrada , Principiſſæ , Comitiſſæ , & alii utriuſque ſexûs nobiles jam erant amplexi , eos exterruit. Quis verò niſi expers rationis id aſſerat , præſertim de beato Hildeberto Cœnomanenſi Epiſcopo , qui prædicto Engoliſmenſi Concilio intererat ? ſcilicet impavidus hic Præſul Anglorum Regi aliiſque Principibus audacter obſtitiſſet ; & diſſolutis , effrænatis , atque incompoſitis Monialibus ceſſiſſet ? faviſſet ? ſuffragatus eſſet ?

Invictæ ſpecimen virtutis Hildebertus edidit adversùs Henricum primum Angliæ Regem , de quo ſic Epiſt. 19. loquitur. † Longum eſt enarrare , quam
„ conſtanti tyrannide Rex Anglicus in nos ſævierit ,
„ qui temperantiâ Regis abjectâ decreverit non priùs
„ Pontifici parendum , quam Pontificem compelleret
„ in ſacrilegium. Quia enim turres Eccleſiæ noſtræ de-
„ jicere nolumus , tranſmarinis ſubjiciendi judiciis coacti

ſumus injurias pelagi ſuſtinere, ſingularem ſcilicet "
moleſtiam itineris, atque unicam totius humanæ "
compaginis diſſolutionem. Tantis igitur agitati tur- "
binibus ad Apoſtolorum limina decrevimus proficiſci, "
magnum novæ tribulationis arbitrati remedium, ſi "
Romanus Pontifex nobis & conſilio ſubvenerit, & "
auxilio.) Adversùs Rothrocum comitem, à quo in carcerem aliquandò detruſus, hæc Epiſcopis, Preſbyteris, atque univerſis Eccleſiæ filiis ſcribit Epiſt. 39.
* Ad vos ergo converſio mea, chariſſimi fratres "
mei, conſacerdotes mei, Domini & amici mei. Oro "
vos orare pro me, curam agere de me, compaſſione "
eſſe juxta me, nam de redemptione nihil ago; ſemel "
Chriſti Sanguine redemptus, iterùm redimi non re- "
quiro: ſanguis ille redemptio mea, ſanguis ille pre- "
tium meum. Indignum eſt ut ſub pretio redigar, "
cujus pretium ſine pretio eſt. Prætereà infamis eſt "
redemptio, quâ libertas perit Eccleſiæ, quâ ſervitus "
comparatur. Neceſſe eſt enim ut membra ſerviant, "
ſi caput humiliatur ſub tributo.) "

Confirmatur primò. Fidem omnem exſuperat, ut Robertus, & primi ejus alumni vitam adeò immoderatè, adeò intemperanter, adeò luxurioſè traduxerint, nullo coarguente Concilio, imo nec advertente. Itane ab ſeverâ morum diſciplinâ impunè deſciſcitur? Nonnulli quidem Preſbyteri, Diaconi, & alii Clerici omnia pudoris ornamenta jampridem perfregerunt: ſed quot Concilia ſe illis oppoſuerunt? quot fulminibus eos percuſſerunt? quot pœnis mulctarunt? Quis igitur perſuaſum habeat Font-Ebraldenſes, ſi, ut ſcriptori utriuſque placet Epiſtolæ, in omni dedecore verſati eſſent, omnem animadverſionem, cenſuram, & objurgationem effugituros fuiſſe? Sanè plurima Concilia vivente Roberto in Gallia fuiſſe celebrata, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ monumenta teſtan-

tur. Anno ſcilicet 1100. (quo Font-Ebraldenſis ordo fuit inſtitutus) Pictavienſe Concilium ſub Paſchali ſecundo coactum eſt à Joanne & Benedicto Cardinalibus, ſediſque Apoſtolicæ Legatis. In eo cauſa Philippi Francorum Regis, qui dimiſſam Bertradæ conſuetudinem repetierat, agitata eſt. Aderant Epiſcopi & Abbates numero octoginta. Aderat Marbodus Redonenſis Epiſcopus, aderat & Robertus Arbriſſellenſis. *Ex Hugone Abbate Flaviniacenſi in chronico ad annum* 1100. *Ex Goffrido Groſſo in vita B. Bernardi primi Tironienſis Abbatis*, *cap.* 23.

Anno 1104. Primum Trecenſe Concilium ſub prædicto Paſchali ſecundo per Richardum legatum actitatum fuit. Aderant Daimbertus Archiepiſcopus Senonenſis, Radulphus Turonenſis, Ivo Epiſcopus Carnotenſis, Marbodus Redonenſis, &c. *Ex Moliſmenſi privilegio recitato, & confirmato in Concilio Trecenſi.* Eodem anno Concilium Balgentiacenſe in causâ Philippi Regis à prælaudato Richardo Cardinali, ſanctæ ſedis legato fuit habitum. Aderant Daimbertus Senonenſis Archiepiſcopus, Ivo Carnotenſis Epiſcopus, Gualo Pariſienſis, Joannes Aurelianenſis, Guillelmus Nivernenſis Comes, Robertus de Arbriſſello, &c. *Vt colligitur ex ſancti Maximini chartulario.*

Anno 1105. Concilium Pariſienſe, in quo Philippus & Bertrada infamem conſuetudinem deteſtati, in Eccleſiæ gremium Deique gratiam admiſſi ſunt. Aderant Daimbertus Senonenſis, & Radulphus Turonenſis Archiepiſcopi, Ivo Carnotenſis, Joannes Aurelianenſis, Gualo Pariſienſis, Manaſſes Meldenſis Epiſcopi, &c. *Ex codice Igniacenſi.*

Anno 1106. Alterum Pictavenſe Concilium, de quo Sugerius ſancti Dionyſii Abbas in vitâ Ludovici Craſſi, cap. 9. Ait. *Adſtitit etiam ibidem Romana*

Digitized by Google

ſedis Apoſtolicæ Legatus, Domnus Bruno Signienſis Epiſcopus, à Domno Paſchali Papa, ad invitandam, & confortandam ſancti Sepulchri viam Dominum Boamundum (Antiochiæ Ducem) *comitatus. Unde plenum & celebre Pictavis tenuit Concilium, cui & nos interfuimus; quia recenter à ſtudio redieramus.* Jam tum maximam clariſſimamque Font-Ebraldenſium virtutem perſpectam habebat Sugerius, ut patet ex ipſius ad Eugenium tertium Epiſtolâ. *Pro Sororibus apud Fontem-Ebraldum, ſanctâ & Deo acceptabili Religione degentibus, ſancti Apoſtolatûs veſtrì celſitudinem, quâ poſſumus prece pulſamus.* Et infrà. *Sub protectione Dei Cœli, & veſtrâ Apoſtolicâ autoritate confovere, & protegere, ut potè tantum tantæ Religionis locum, quem cum in partibus illis in ſcholis eſſemus, noviter incœptum eſſè vidimus, & pro Dei voluntate ferè ad quatuor aut quinqùe millia ſanctimonialium jam excreviſſe audivimus, & gaudemus.* Itaque cùm in ſcholis eſſet Sugerius, è quibus, anno 1106. emerſerat, noviter incœptum vidit Font-Ebraldenſem Ordinem, ſanctâ & Deo acceptabili Religione degentem.

Anno 1107. Secundum Trecenſe Concilium ipſo Paſchali præſente, de quo Conradus Abbas Uſpergenſis in chronico ad annum Domini 1107 *Circa Aſcenſionem Domini Concilium non modicum apud Trecas habuit; ubi inter multa, quæ pro tempore & neceſſitate corrigenda erant, correxit, ſententiam de libera Paſtorum electione, & de coercenda laicorum in Eccleſiaſticas dignitates præſumptione, juxta prædeceſſorum ſuorum decreta promulgavit.*

Anno 1108. Concilium Rotomagenſe, de quo Ordericus Vitalis, lib. 8. *Anno ab Incarnatione Domini* 1108. *indictione.* I. *Guillelmus Archiepiſcopus*

Digitized by Google

Concilium Præſulum & Abbatum Rotomagi congregavit, & de neceſſariis Eccleſiæ rebus cum Suffraganeis ſuis per aliquot dies tractavit.

Anno 1109. Concilium Lauſdunenſe de ſtatu Eccleſiæ à Gerardo ſedis Apoſtolicæ Legato congregatum. Interfuerunt Ernaldus Archiepiſcopus Burdegalenſis, Petrus Santonenſis Epiſcopus, Petrus Pictavienſis, Marbodus Redonenſis, Hildebertus Cœnomanenſis, Goffridus Abbas Vindocinenſis, &c. *Ex duplici decreto, quorum altero capella ſancti Stephani Monachis majoris Monaſterii adverſus Canonicos Camiliacenſes; altero autem Eccleſia ſancti Petri Trenorcienſibus adversùs Epiſcopum & Canonicos Nannetenſes adjudicatur.*

Anno 1110. Concilium Floriacenſe, de quo in chronico ſancti Petri Vivi Senonenſis. *In ipſo anno* (hoc eſt 1110.) *celebravit ipſe domnus Richardus Concilium Kal. Octob. apud Monaſterium ſancti Benedicti Floriacum. In quo adfuerunt Archiepiſcopus Senonenſis, Domnus Daimbertus, & Rodulphus Remenſis Archiepiſcopus, & Radulphus Archiepiſcopus Turonenſis, & Leodegarius Archiepiſcopus Bituricenſis, cum Epiſcopis, & Abbatibus ſuis.*

Anno 1115. Concilium Remenſe à Conone ſedis Apoſtolicæ Legato congregatum: in quo damnatus Henricus Imperator quintus, & ſanctus Godefridus Ambianenſem cathedram repetere juſſus. (Anno 1116. aut 1117. B. Robertus Arbriſſellenſis ex corporis ergaſtulo ſolutus eſt. Ejus exequias cohoneſtarunt Leodegarius Bituricenſis Archiepiſcopus, Radulphus Turonenſis Archipræſul, Rainaldus Andegavenſis antiſtes, Abbates multi, innumeri Sacerdotes cum infinita populi multitudine. Vide pag. 30. contracti Clypei, num. 8.)

Digitized by Google

Anno 1118. Concilium Engoliſmenſe, de quo Malleacenſe chronicon, ad annum 1118. *Engoliſmæ Concilium aliud, ubi Archiepiſcopus Turonenſis, & alii duo Epiſcopi confirmati ſunt: unus eorum, Audebertus civitatis Agenn.* Rerum aliarum in hoc Concilio geſtarum, nihil ad nos pervenit, niſi ſupradictum decretum, quo Tucionenſis locus Font-Ebraldenſibus addicitur adversùs Abbatem & Monachos Nantolienſes. Subſcripſerunt Hildebertus Cœnomanenſis, & Marbodus Redonenſis Epiſcopi. Num, amabo, tot Legati, Archiepiſcopi, & Abbates, omni virtutum genere præfulgentes, Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſervandæ & promovendæ ſolliciti, caſtitatis imprimis amantes, profundas Font-Ebraldenſium libidines altâ diſſimulatione preſſiſſent? nonne noverant Concilium Turonenſe primum, anno 461. canone 1. ita monuiſſe. † Si univerſis fidelibus, "ſecundum Apoſtolicam doctrinam, caſtitas cuſto-"dienda indicitur, ut qui habent uxores, ita ſint quaſi "non habentes; quantò magis Sacerdotes Dei ac Le-"vitæ divino mancipati altario cuſtodire debent, ut non "ſolùm cordis, verùm etiam corporis puritatem ſer-"vantes, pro plebe ſupplicaturi, preces ſuas ad divi-"num introire mereantur auditum?... Qui ſi conta-"minati fuerint carnali concupiſcentia, quâ mente ex-"cuſabunt, quo pudore uſurpabunt, quâ conſcientiâ, "quo merito exaudiri ſe credent?)"

Nonne noverant Concilium Aurelianenſe tertium, anno 538. canone 2. ita ſanxiſſe. † Nullus Clerico-"rum à Subdiacono, & ſuprà, qui uxores in propo-"ſito ſuo accipere inhibentur, propriæ, ſi fortè jam "habeat, miſceatur uxori. Quod ſi fecerit, laica com-"munione contentus, juxta priorum canonum ſta-"tuta, ab officio deponatur. Quem ſi ſciens Epiſcopus "ſuus in vilitate permixtionis viventem, ad officium "

„ poſteà admiſerit : & ipſe Epiſcopus ad agendam pœ-
„ nitentiam , tribus menſibus ſit à ſuo officio ſequeſtra-
tus.) *Et Concilium Aurelianenſe quartum* , *anno* 541. *canone* 17. *ita decreviſſe.* * Ut Sacerdotes ſive
„ Diaconi , cum conjugibus ſuis non habeant com-
„ munem lectum & cellulam : ne propter ſuſpicionem
„ carnalis conſortii Religio maculetur : quod qui fece-
„ rint , juxta priſcos canones ab officio regradentur.]

Nonne noverant Concilium Lugdunenſe tertium , anno 583. Canone primo ita ſtatuiſſe. † Placuit etiam
„ ut ſi quicunque uxoribus juncti ad Diaconatûs aut
„ Preſbyteratûs ordinem quoquo modo pervenerint ,
„ non ſolùm lecto , ſed etiam frequentatione quoti-
„ diana , debeant de uxoribus ſuis ſequeſtrari. Quod ſi,
„ quod Deus avertat , de eorum familiari contubernio,
„ poſt acceptam benedictionem , infans natus paruerit,
„ ab officii gradu priventur.] Sacerdotes , Diaconos & Subdiaconos ex propriis uxoribus liberos procreantes, vel illarum petentes lectum exauctorari Gallica jubent Concilia : quantò igitur magis exaugurandos cenſent , qui filios generant Sacris ex Virginibus , vel ipſarum cubili frequenter involant ?

Nonne noverant Verani Lugdunenſis Epiſcopi dictam quodam in Concilio ſententiam , quæ extat tomo primo Concil. Galliæ , poſt Valentinam ſecundam Synodum his verbis. *Quis præſidentem ſacris altaribus , atque ad ipſa ſancta ſanctorum honoris privilegio venientem , indigniſſimis carnalium voluptatum contaminari illecebris patiatur , ac ſub ipſo conjugalis licentiæ nomine adquieſcat quempiam Clericorum , & Sacerdotis agere officium , & mariti implere perſonam ?*

Nonne noverant Romanæ Synodi ad Gallicanos Epiſcopos tranſmiſſos Canones , in quorum tertio ſic
„ decernitur. * Primo loco ſtatutum eſt de Epiſcopis , Preſbyteris ,

Preſbyteris, Diaconibus, quos Sacrificiis divinis neceſſe eſt intereſſe, per quorum manus & gratia Baptiſmatis traditur, & Corpus Chriſti conficitur, quos non ſolùm nos, ſed & ſcriptura divina compellit eſſe caſtiſſimos. Et Patres quoque juſſerunt continentiam eos corporalem ſervare debere. Qua de re non prætereamus, ſed dicamus & cauſam. Quo enim pudore viduæ aut Virgini, auſus eſt Epiſcopus vel Preſbyter integritatem vel continentiam prædicare, ſi ipſe ſæculo magis inſtitit filios generare, quam Deo? Certè Idololatræ, ut impietates exerceant, & dæmonibus immolent, imperant ſibi continentiam muliebrem, & ab eſcis quoque ſe purgari volunt: & me interrogas, ſi Sacerdos Dei vivi, ſpiritalia oblaturus Sacrificia, purgatus perpetuò debeat eſſe, an totus in carne carnis curam debeat facere?

Nonne noverant alios in Concilio Melfitano (quod anno 1090. Urbano ſecundo ſummo Pontifice, Roberti coætaneo celebratum eſt) editos canones? Ita canone 2. ſtatuitur. † Sacrorum canonum inſtituta renovantes, præcipimus ut à tempore Subdiaconatûs nulli liceat carnale commercium exercere. Quod ſi deprehenſus fuerit, ordinis ſui periculum ſuſtinebit. *Et canone* 12. Porrò eos qui in Subdiaconatu uxoribus vacare voluerint, ab omni ſacro Ordine removemus, officio atque beneficio Eccleſiæ carere decernimus. Quod ſi ab Epiſcopo commoniti, non ſe correxerint, Principibus licentiam indulgemus, ut eorum fœminas mancipent ſervituti. Si verò Epiſcopi conſenſerint eorum pravitatibus, ipſi officii interdictione mulctentur.] Cur itaque tot Legati, Epiſcopi, & Abbates regimen Monialium Roberto non abrogaſſent? cur eum non exuiſſent Ordine & munere ſuo? cur ſummo juris jure cum Font-Ebraldenſibus non egiſſent? cur totam canonum ſeverita-

F

tem in ipſos non diſtrinxiſſent ? cur obſcurè & diſſimulanter tuliſſent effrænatam illorum intemperantiam? id verò non fuiſſet eorum pravitatibus conſentire ? quod tamen *officii interdictione* erat illis prohibitum. *Si vero Epiſcopi conſenſerint eorum pravitatibus, ipſi officii interdictione mulctentur.*

Confirmatur ſecundò. Non leviores turbines adversùm ſe commoviſſet Robertus, ſi corruptis moribus imbutus fuiſſet, quàm commoti ſint adversùs Paulum Samoſatenum, qui *Agapetas* habuit, id eſt, fœminas quæ in ipſius obſequio & miniſterio erant, ipſique ſororio, vel quovis alio pietatis & charitatis nomine convivebant. Tunc enimverò contra impurum hunc Hæreſiarcham ejuſque ſectatores inſurrexerunt Epiſcopi, horrendis fulminibus Eccleſia circumfremuit, & convocatum ſecundum Antiochenum
„ Concilium. † Quid hîc referre attinet (*inquit in ſuâ*
„ *Synodicâ Epiſtolâ*) ſubintroductas, ut Antiocheni
„ vocant, mulieres, tam ipſius, quam Preſbyterorum
„ ejus ac Diaconorum ? &c. Neque illud ignoramus,
„ quòd ex hujuſmodi mulierum contubernio partim in
„ præceps lapſi ſint, partim in ſuſpicionem venerint.
„ Itaque etiamſi quis conceſſerit nihil ab eo turpe com-
„ mitti, ſuſpicionem tamen quæ inde oriri ſolet, vi-
„ tari oportebat; ne quemquam offenderet, neve ali-
„ quos ad imitationem ſui provocaret. Quo enim mo-
„ do increpabit alium, & admonebit ut à frequentiori
„ mulieris conſuetudine abſtineat, ne fortè corruat
„ ſicut ſcriptum eſt, is, qui unam quidem jam dimiſit,
„ duas vero ætate florentes, & formâ conſpicuas ſe-
„ cum habet, & quocunque proficiſcitur, circumducit ?)
„ Dicat jam utriuſque ſcriptor Epiſtolæ, cur nullum ex laudatis Conciliis, quibus Hildebertus Cœnomanenſis, Marbodus Redonenſis, & Goffridus Vindocinenſis interfuerunt, de Roberto laſciviam Principum

Digitized by Google

& Sacerdotum inſectante pronuntiavit, uti de Paulo Samoſateno Antiochenum Concilium. *Quo enim modo increpabit alium, & admonebit ut à frequentiori mulieris conſuetudine abſtineat, ne fortè corruat, is, qui unam quidem jam dimiſit, mille verò & ampliùs ætate florentes, formâque conſpicuas coegit; qui iiſdem omne genus humanitatis nullâ ſervatâ parcitate exhibet; qui cum ipſis & inter ipſas noctu frequenter cubare non erubeſcit?*

SECTIO QUARTA.

Quarta ratio petita ex donis Roberto collatis, Marbodo, & Hildeberto approbantibus.

SECUNDÆ Scriptor Epiſtolæ factas Roberto, & Ordini Font-Ebraldenſi donationes improbat, vituperat, moleſtè fert. Sic enim conqueritur. *Videmus egentes Presbyteros à ſuis deſertos gregibus, velut indignos quibus offerant, quorum ſe commendent orationibus, à quibus accipiant injunctionem pœnitentiæ, quibus decimas ſolvant, vel primitias, qui omnes tuo ſe queruntur præjudicio condemnatos. Videmus ad te turbas undique confluentes, tibi tuiſque honores, quos propriis debebant ſacerdotibus, impendentes: ita fit, ut aliena damna tuis ſerviant emolumentis.* At Marbodus & Hildebertus non modò hujuſmodi donationes non improbant, non modò non vituperant, non modò non moleſtè ferunt, ſed eas etiam approbant, commendant, gratas habent & acceptas. Nonne Hildebertus donis Ordini Font-Ebraldenſi tributis ſubſcripſit? nonne Marbodus Eccleſiam de Arbriſſel Roberto tranſmiſit? nonne uterque plures poſſeſſiones & ele-

Digitized by Google

emoſynas adjudicavit ? hæc igitur Epiſtola à Marbodo aut Hildeberto nequit dici conſcripta.

SECTIO QVINTA.

Quinta ratio petita ex multiplici Marbodi, Hildeberti, Goffridi, & Roberti congreſſu.

QUINTA Ratio inde petitur, quòd Goffridus Abbas Vindocinenſis & Cardinalis, Hildebertus Cœnomanenſis Epiſcopus, Marbodus Redonenſis Præſul, qui prædictarum Epiſtolarum falsò cenſentur autores, & Robertus de Arbriſſello, ad quem miſſæ perhibentur, ſæpenumerò in eumdem locum convenerint de rebus maximi ponderis deliberaturi. Nec tamen illi unquam de Roberto conqueſti ſunt, aut aſperioribus verbis eum perſtrinxerunt; à quibus nihilò tamen minùs abſtinuiſſent, ſi ſiniſtrum de eo accepiſſent rumorem. Certè Goffridum, Hildebertum, Marbodum & Robertum in unum eumdemque locum frequenter coactos eſſe, Robertum nihilominus in eorum reprehenſionem non incurriſſe, compertum eſt ex chartis huc uſque productis. Conſtat etiam ex reſcripto Paſchalis ſecundi ſummi Pontificis, quo eis demandat, ut infra 40. dies in Capitulum Abbatiæ ſancti Albini coeant, ad dirimendam ex Eccleſiaſticis legibus motam inter Archembaldum & Paganum Alberici de eadem Abbatiâ controverſiam.

Controverſia hæc refertur à Goffrido Vindocinenſi Epiſt. 6. lib. 1. ad Paſchalem ſecundum datâ. † Domnum Paganum B. Albini electum, quem mihi minimo ſervorum veſtrorum, veſtræ autoritatis decreto commendaſtis, ſcitote veraciter multa gravamina

paſſum. Priùs quidem electio ſua ſine judicio & audientia ei ablata eſt. Poſteà per invidiam in locum, quem per electionem fratrum ſuorum obtinuerat, Archembaldus ſubrogatus eſt. Qui me præſente in capitulo ſuo inter manus Andegavenſis Epiſcopi, cum Regulâ ſancti Benedicti Abbatiam penitùs ante dimiſerat : quia, ſicut ipſemet, & omnis Congregatio cum eo publicè confitebatur, præ animi & corporis infirmitate tantum onus ferre non poterat. Paganus verò cum ſe nec auditum, nec vocatum quaſi damnatum conſpiceret, ne per hanc, quam immeritò patiebatur, repulſam, infamiâ poſtmodùm notaretur, me audiente Domnum Epiſcopum Andegavenſem, & Domnum Engoliſmenſem Legatum veſtrum convenit : juſtitiam & audientiam ab eis quæſivit. Sed ſicut utraque quæſita eſt, utraque ab utroque negata fuit. *Et paulò poſt.* His quæ ſupradiximus, & aliis gravaminibus prædictus frater vehementer oppreſſus, ſanctam Apoſtolicam Sedem, quæ matris pietate oppreſſis omnibus ſubvenire conſuevit, appellavit : & ad eam, ſicut ad matrem filius conſilium & auxilium petiturus confugit.

Reſcriptum verò Pontificium in Abbatiæ ſancti Albini tabulario aſſervatur *, cujus hic tenor eſt. † Paſchalis Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerab. Fratribus & Coepiſcopis R. (*Radulpho*) Turon. I. (*Ildeberto*) Cœnom. M. (*Marbodo*) Redon. Salut. & Apoſtol. bened. S. Romana Eccleſia, ſicut omnium mater eſt, ſic omnes materna charitate complectitur, & omnibus ipſius miſericordiam poſtulantibus ſatagit ſubvenire. Præſentium ſiquidem bajulus P. (*Paganus*) ſuam penes nos querelam depoſuit, quod cum ſine audientiâ & judicio Frater noſter R. (*Rainaldus*) Andegav. Epiſc. à ſede ac poteſtate Abbatis, in quâ ipſum Fratres Monaſterii ſancti Albini poſuerant, ſub

„ anathematis interdicto expulerit : & Ar. (*Archem-*
„ *baldum*,) qui eamdem Abbatiam abdicaverat, poſt
„ appellationem Apoſtolicæ Sedis reſtituerit. Propterea
„ experientiæ veſtræ mandamus, ut infrà dies 40. poſt
„ harum litterarum acceptionem, cum fratribus R. S.
„ G. (*Goffrido*) Vindocinenſi. G. (*Guillelmo*) ſancti
„ Florent. G. (*Galterio*) ſancti Sergii, & R. (*Roberto*)
„ de Arbrixellis in Capitulum ſancti Albini Andegav.
„ convenire curetis, & cauſam iſtam Deo adjuvante,
„ ordine canonico terminetis, &c. Datum Lateran. 15.
„ cal. Martii.

Vides Hildebertum Cœnomanenſem Epiſcopum, Marbodum Redonenſem Præſulem, Goffridum Abbatem Vindocinenſem, & Robertum Arbriſſellenſem ſtatutos à Paſchali ſummo Pontifice hujuſce contentionis arbitros : at quibuſnam oculis Hildebertus, Marbodus, & Goffridus Robertum conſpexiſſent, ſi tam horrenda, tam pudenda, tam ignominioſa de eo famâ diſcurrente ſiniſtrâ audiviſſent ? Nonne amplam occaſionem nacti eſſent de eo apud Paſchalem conquerendi, iſtumque Pontificem de illius exceſſibus commonendi ? tacitos tamen omnes iſtos exceſſus, utpotè fabuloſos, reliquerunt. Inde patet, quòd Paſchalis, non ſolùm anno 1106. quo creatus eſt Abbas ſancti Albini Archembaldus, ſed etiam, anno 1113. Font-Ebraldenſem approbaverit Ordinem : quod tamen minimè feciſſet, ſi quid de eo, quale dicitur, aut ab Hildeberto, aut à Marbodo, aut à Goffrido accepiſſet. Sed id fuſiùs in ſequenti ſectione proſequemur.

SECTIO SEXTA.

Sexta ratio petita ex perpetuo Goffridi, Marbodi, & Hildeberti de Font-Ebraldenſium immoderationibus ſilentio.

SI ſiniſtra de B. Roberto & Monialibus ejus tam longè latèque fama manaſſet, ſi eam Goffridus, Marbodus, & Hildebertus comperiſſent, ſi eâdem famâ excitati prædictas ſcripſiſſent Epiſtolas, cur ſummos Antiſtites non monuiſſent? Quinque à Font-Ebraldenſi Ordine (anno Domini 1100.) condito, Hildeberto, Marbodo, & Goffrido viventibus, floruerunt Romani Pontifices, nempe Paſchalis ſecundus, Gelaſius ſecundus, Calixtus ſecundus, Honorius ſecundus, & Innocentius ſecundus; nam Marbodus, anno 1123. Goffridus, anno 1131. aut 1132. Hildebertus, anno 1136. diem ſupremum obiit, Innocentio ſecundo ſummo Pontifice.

Cur itaque Antiſtites iſtos non monuiſſet Goffridus, qui Alpes pro Eccleſiæ Romanæ utilitate duodecies tranſcendit? *Hanc utique infirmitatem*, inquit Epiſt. 14. lib. 1. ad Honorium ſecundum, *ex nimio labore, & multiplici Romano itinere contraxi: &, quod non propter jactantiam dico, ſed propter gratiarum actionem, propter utilitatem Romanæ Eccleſiæ, pro quâ ter captus ſum, & ter quater Tranſalpinavi.* Cur non monuiſſet Paſchalem ſecundum? [a] *Ad quem octo dedit litteras, quemque Vindocini undenum dierum ſpatio hoſpitem habuit?* Calixtum ſecundum? *Cui veteri neceſſitudine erat conjunctus, &, quod utriuſque mutuæ Epiſtolæ oſtendunt, intimus?* Honorium ſecundum? *cum*

a. Sirmondus in vitâ Goffridi.

quo commercium habuit Epiſtolarum ?

Cur eoſdem Præſules non commonefeciſſet Marbodus ? Nonne bis Romam petiit ? Refert ipſe in Epiſtolâ ad Rainaldum Andegavenſem Epiſcopum. *Adeo non tibi ſatis fuit, amicum damno afficere, niſi & dedecoris improperio cumulares. Cumque me indignè tractatum conquererer, ad Papæ audientiam è veſtigio provocaſti, à te ante audientiâ ſpoliatum, pro te ſumptibus nuper exhauſtum, per te laboribus fatigatum, ad hæc ætate jam ſenem, febribus anhelantem : ipſe juvenis robuſtus, opulentus, inito nuper honore glorioſus ; ut ſcilicet ibi, te cogente cauſam dicerem, ubi pro te ſpontaneus eodem anno lacrymas dederam ?* Nonne citatâ ad Ingilgerium Epiſtolâ, docuit ad judices deferendos eſſe peccatores ? *orate pro illis*, inquit, *ut Deus eos convertat : vel, ſi plus expedit, apud ſuos judices ſingulos accuſate, ut convicti, vel confeſſi juſtè damnentur, &c.*

Cur eoſdem Antiſtites non commonuiſſet Hildebertus ? nonne eos adiit ? nonne pluribus Epiſtolis ſalutavit ? Cur eorum ſaltem Legatum, Gerardum Engoliſmenſem Epiſcopum certiorem non feciſſet, uti de effrenatâ vitæ licentia Abbatis & Monachorum Ebronenſium, Epiſtolâ 38. his verbis. * Eſt apud „ nos Abbatia, quæ dicitur Ebron, poſſeſſionibus & re „ quondam percelebris, viciniſque cœnobiis ſolâ pau„ perior honeſtate. Nulla ibi legum cuſtodia, nullus „ violati cenſor ordinis invenitur. Si quid fratrum ſum„ ptibus, Anteceſſorum devotione collatum eſt, in „ mercedem tranſit iniquitatis, non in ſubſidium Re„ ligionis. Clauſtrales, quibus conventicula plebis, & „ ſermones otii lex arctior interdicit, plateis pro Clau„ ſtro, ſcurrilitatibus pro lectione coutuntur. Eſt etiam „ eis publica, & inexpugnabilis cum mulieribus fami-

liaritas ; quibus illæ promiſſis & præmiſſis obligatæ munuſculis, dies iniquitatis, & noctes infamiæ venditare comprobantur. Tanto rerum pariter ac morum defectui paſtoris negligentia magnum contulit incrementum. Nihil ei cum Abbatis officio ; cui nec mores ad exemplum, nec ad doctrinam ſcientia ſuffragatur, &c. Super his ergo quid vobis placuerit, aut quid in præfatam beſtiam ſtatui oporteat, filium veſtrum ſigillatis apicibus inſtruatis.] Tantum autem abeſt, ut ad Romanos Præſules, aut ad eorum Legatos Font-Ebraldenſem Ordinem detulerit Hildebertus, ut ejus etiam ſanctitatem, caſtimoniam, & honeſtatem in laudatâ ad Honorium ſecundum Epiſtolâ ſtudioſiſſimè commendarit.

Ex allatis hactenùs argumentis & rationibus evidens eſt, opinor, neutram Epiſtolam vel à Goffrido Vindocinenſi Abbate, vel à Marbodo Redonenſi Epiſcopo, vel ab Hildeberto Cœnomanenſi, & poſtmodùm Turonenſi Præſule datam fuiſſe, ſed unam à Roſcelino hæretico, alteram verò ab eodem, vel ab alio nefario Clerico confictam. Ita conjicit P. Alexander, pag. 680. * Sanè ſi Epiſtolam contumacem à Roſcelino hæretico contra egregium præconem Chriſti Robertum de Arbriſſello confictam habemus, hanc potius eſſe crediderim, quæ Marbodo à nonnullis tribuitur.... Fœlicior erit fortaſſis conjectura, quòd ſeculares Clerici, quorum plerique incontinentes erant, avari, ſimoniaci, & quorum pravis moribus cauterium adhibere ſatagebat vir Apoſtolicus, has de ipſo calumnias in vulgus ſparſerint : & quiſpiam ex illo ordine invidentiæ œſtro percitus contumelioſam illam Epiſtolam ſcripſerit atque vulgaverit. Si enim Preſbyteri Normanni, eorumque concubinæ in S. Bernardi Tironienſis Abbatis, contrà ipſorum vitia publicamque fœditatem concionantis & agentis,

„ necem conſpirarunt, quid de Britonum Preſbyterorum feritate tunc ſuſpicari non liceat, quos Baldricus inceſtis copulationibus fœdatos commemorat.

P. Alexandro hac in conjectura prævivêre PP. Bollandus & Henſchenius S. J. tom. 5. pag. 602. num. 60. † Quis ergo tandem Epiſtolæ autor? ſuſpicari liceret, cùm in Concilio Pictavenſi, anno 1100. ita fortiter pro autoritate ſedis Apoſtolicæ ſtetiſſet Robertus, aliquem è Philippi Regis ſubditis ideo illi iratum, hoc in eum ſub Guillelmi Ducis imperio virulentum ſcriptum contorſiſſe: aut è ſacro Ordine non neminem invidentiæ œſtro percitum, quòd ut in ipsâ Epiſtolâ dicitur, totus mundus poſt eum abiret, hanc architectatum eſſe calumniam. Certè enim etiam in pluribus cœnobiis, ut loco anteà citato queritur Jacobus de Vitriaco, reſtincta pietas, ſolutaque diſciplina erat: ſeculares verò Sacerdotes in Britannia, ut ex Baldrico colligitur, atque in Normannia, ut Gauffridus in vitâ B. Bernardi ſcribit (forſan & alibi) ſtatus ſui dignitatem fœdiſſimis vitiis inquinabant: ideoque in Bernardi necem conſpirarunt Normanni Preſbyteri, ac Preſbyterorum (nam ità vocat) uxores. Potuit ergo quiſpiam ex eo genere hominum hanc in Robertum, nimiùm moribus ſuis diſſimilem, excogitare calumniam

Iſta Doctiſſimorum conjectura virorum confirmari poteſt ex calumniis contra Gregorium ſeptimum, P. M. à Preſbyteris, quibus uxorum uſu aut concubinarum conſortio interdixerat, intentatis. Anſam violandæ famæ ſanctiſſimi Pontificis arripuerunt ex piâ ejus cum Mathilde Comitiſſa conſuetudine, quæ illum ſibi ſumpſerat Chriſtianæ magiſtrum perfectionis. † Hæc „ vivente adhuc viro ſuo, *inquit Lambertus Scafnaburgenſis ad annum* 1077. quamdam viduitatis ſpeciem, longiſſimis ab eo ſpatiis excluſa prætendebat;

Digitized by Google

cùm nec ipſa maritum in Lotharingiam extra natale "
ſolum ſequi vellet, & ille ducatûs, quem in Lotha- "
ringia adminiſtrabat, negotiis implicitus, vix poſt "
tertium vel quartum annum ſemel Marcham Italicam "
inviſeret. Poſt cujus mortem Romani Pontificis lateri "
penè comes individua adhærebat, eumque miro co- "
lebat affectu. Cumque magna pars Italiæ ejus pareret "
imperio, & omnibus, quæ prima mortales ducunt, "
ſuprà cæteros terræ illius principes abundaret; ubi- "
cumque operâ ejus Papa indiguiſſet, ocyùs aderat, "
& tanquam Patri, vel Domino ſedulum exhibebat "
officium. Unde nec evadere potuit inceſti amoris ſuſ- "
picionem, paſſim jactantibus Regis fautoribus, & "
præcipuè Clericis, quibus illicita & contra ſcita ca- "
nonum contracta conjugia prohibebat, quòd die ac "
nocte impudenter Papa ejus volutaretur amplexibus; "
& illa furtivis Papæ amoribus præoccupata, poſt "
amiſſum conjugem ultrà ſecundas contrahere nuptias "
detrectaret. Sed apud omnes ſanum aliquid ſapientes, "
luce clariùs conſtabat, falſa eſſe, quæ dicebantur. "
Nam & Papa tam eximiè, tamque Apoſtolicè vitam "
inſtituebat, ut nec minimam ſiniſtri rumoris macu- "
lam converſationis ejus ſublimitas admitteret, & illa "
in Urbe celeberrima, atque in tantâ obſequentium "
frequentiâ obſcœnum aliquid perpetrans latere nequa- "
quam potuiſſet. Signa etiam & prodigia, quæ per ora- "
tiones Papæ frequentiùs fiebant, & zelus ejus ferven- "
tiſſimus pro Deo, & pro Eccleſiaſticis legibus, ſatis "
eum contra venenatas detractorum linguas commu- "
niebant. "

Ad ſummum hunc Pontificem acceſſit ſimilitudine Robertus. Judex ſedeto lector. Sancto Gregorio ſe tradidit in vitâ ſpirituali erudiendam Mathildis: B. Roberto innumera Matronarum & Virginum multitudo. Clerici, quibus pius Antiſtes uxorum uſum ſe-

veriſſimis decretis prohibuerat, de illo ſparſerunt: *Quòd die ac nocte impudenter Mathildis volutaretur amplexibus.* De Roberto *inceſtas illorum*, ut ait Baldricus, cap. 1. num. 9. *copulationes dirimente*, commenti ſunt, quòd alumnas ſuas *communi menſâ per diem dignaretur, & per noctem communi accubitu.* De Gregorio ſapientes tale nihil ſunt ſuſpicati: neque de Roberto, quem Præſules Romani, Legati, Epiſcopi, & Abbates; Reges, Principes, Comites, & cæteri Nobiles ſummo extulêre præconio. Gregorius *tam eximiè, tamque Apoſtolicè vitam inſtituebat, ut nec minimam ſiniſtri rumoris maculam converſationis ejus ſublimitas admitteret.* Tam ſanctè, tam probè, tam religiosè ætatem Robertus tranſigebat, ut ſuſpicio hujuſmodi culpæ non poſſet in illo conſiſtere: ſed *bonæ opinionis, bonæ memoriæ, fœlicis recordationis, ſanctiſſimus, Religioſiſſimus, inſignis Eccleſiæ Angelus* prædicaretur. Gregorius *in tantâ obſequentium frequentiâ obſcœnum aliquid perpetrans latere nequaquam potuiſſet.* Neque etiam inſciis omnibus meretricium quiddam quiviſſet Robertus in ſe admittere, in tanto alumnorum numero, tantoque Turonenſium, Pictavienſium, & Andegavenſium Fontem-Ebraldi concurſu. Quæ *per orationes Gregorii ſigna & prodigia fiebant frequentiùs, ſatis eum contra venenatas detractorum linguas communiebant.* Portentoſæ pariter morum immutationes, ex fervidis Roberti concionibus efflore ſcentes, vel minimam ab eo libidinis umbram amoliebantur. Ex ſecundâ & tertiâ compertum erit diſſertatione.

DISSERTATIO SECVNDA.

SPECIALES IN BEATVM ROBERTVM calumniæ diluuntur.

CAPVT PRIMVM.

Beatus Robertus à malâ exiſtimatione vindicatur.

PRIMVM objurgationis caput ex utraque Epiſtolâ deſumptum. Ex primâ. *Hæc idcircò, venerabilis frater, propoſuimus, quia te talia egiſſe, & adhuc agere fama diſcurrente ſiniſtra audivimus, &c.* Ex ſecundâ. *At verò cum quædam à te dici & fieri referuntur, quæ nec ſanæ doctrinæ, nec boneſtæ vitæ conveniant, &c.* Ubi utriuſque ſcriptor Epiſtolæ neminem conteſtatur præter ſiniſtram de Beato Roberto apud populum diſcurrentem famam.

Digitized by Google

SECTIO PRIMA.

Teſtis, adverſùs Beatum Robertum ab utriuſque Epiſtolæ ſcriptore productus, diligenter expenditur.

CO ARGUITUR Robertus multiplicis criminis, luxuriæ ſcilicet, ſcandali, maledicentiæ, novitatis, avaritiæ, hypocriſis, ſuperbiæ & ambitionis: teſtis producitur: Quiſnam? Siniſtra duntaxat apud populum diſcurrens fama. Quis verò ſiniſtrâ ſolummodò teſtificante fama Robertum vituperet? quis reum exiſtimet? quis eum condemnet? An fama idoneus teſtis, integer, & veridicus? Audiendus Tertullianus in Apologetico, cap. 7°. † Natura famæ omnibus nota eſt. Cur fama malum? quia velox? quia index? an quia plurimùm mendax? quæ ne tunc quidem, cum aliquid veri affert, ſine mendacii vitio eſt, detrahens, adjiciens, demutans de veritate. Quid? ei iſta conditio eſt, ut nonniſi cùm mentitur, perſeveret, & tamdiu vivit, quamdiu non probat: ſiquidem ubi probavit, ceſſat eſſe, & quaſi officio nuntiandi functa, rem tradit: exinde res tenetur, nominatur. Nec quiſquam dicit v. g. hoc Romæ aiunt factum: aut fama eſt, illum Provinciam ſortitum; ſed ſortitus eſt ille provinciam; & hoc factum eſt Romæ. Fama nomen incerti, locum non habet, ubi certum eſt. An verò famæ credat niſi inconſideratus? quia ſapiens non credit incerto.] Pondera. *Quæ ne tunc quidem, cum aliquid veri affert, ſine mendacii vitio eſt, detrahens, adjiciens, demutans de veritate.* Id exemplo duplici quidam explicuit ingenioſè. *Veritas ad nos venit, ut tributum in ærarium publi-*

cum cum magna diminutione. Inficiunt veritatem rumores, ex tot hominum paſſionibus ortum ducentes, ut aqua per vitioſos canales fluens.

Audiendus Alphonſus Toſtatus Epiſcopus Abulenſis 2. paralip. cap. 9. q. 9. *Fama eſt incertus nuncius: & ſicut originem habet ab incerto autore, non eſt ei confidendum.* Et paulò poſt. *Fama eſt nuncius fallax.* Audiendi ipſi Poëtæ, inter quos Ovidius 9. Metam.

Fama loquax pervenit ad aures
Dejanira tuas, quæ veris addere falſa
Gaudet, & è minimo ſua per mendacia creſcit.

Ex quibus manifeſtè ſequitur, Beatum Robertum ex ſiniſtræ teſtimonio famæ non poſſe meritò vituperari, nec reum exiſtimari, nec condemnari. Maximè autem, quia ſiniſtri de viris frugi rumores oriuntur ex antiquâ Satanæ malignitate, notatâ à D. Cypriano purgante ſanctum Cornelium à probris de eo per Novatianum ejuſque fautores falsò pervulgatis. *Quod quædam de illo* (Cornelio, inquit, Epiſtolâ 52.) *inhoneſta & maligna jactantur, nolo mireris; cum ſcias hoc eſſe opus ſemper Diaboli, ut ſervos Dei mendacio laceret, & opinionibus falſis glorioſum nomen infamet; ut qui conſcientiæ ſuæ luce clareſcunt, alienis rumoribus ſordidentur.*

Digitized by Google

SECTIO SECVNDA.

In Beatum Robertum fama nunquam teſtificata eſt, ſive de Beato Roberto ſiniſtra nunquam diſcurrit fama.

UTRIUSQUE Architectus Epiſtolæ diſertis verbis aſſerit, & ſiniſtram de B. Roberto diſcurriſſe famam, & famam iſtam plurimorum animos occupaſſe, præclarumque ſancti Fundatoris nomen infuſcaſſe. Patet ex his quæ retulimus pag. 59. num. 3. quibus iſta addi poſſunt Autoris ſecundæ Epiſtolæ verba. *In hoc igitur capitulo*, inquit, *converſationem tuam plurimi reprehendunt, nec ſolùm Eccleſiaſticæ, ſed & vulgares perſonæ.* Item. *Remove à te, obſecro, hujuſmodi temperamenta, quæ etſi animam tuam per conſenſum non vulnerant, ſine dubio famam tuam commaculant, Religionem infamant.* Item. *Cæterùm de pannoſi habitûs inſolentiâ plurimi te non immeritò reprehendendum putant.* Item. *Ergo ut ſupra hoc exitu tua culpatur Religio, quòd in introitu non eſt habita mater diſcretio.* Scriptori hac de re aſſentitur P. Alexander, hoc infirmo convictus argumento. *Siniſtra fama diſcurrit de Chriſto, de primis Chriſtianis, de ſanctis Athanaſio, Chryſoſtomo, Gilberto Sempringhamenſi, & aliis: quidni ergo & contra Robertum de Arbriſſello fama ſiniſtra vulgata ſit, quæ Goffridum Vindocinenſem impulerit, ad eam ſcribendam Epiſtolam de quâ agimus.* Infirmum voco argumentum, ex quo nihil aliud extundi poteſt, quàm ſiniſtram de B. Roberto famam potuiſſe diſcurrere; minimè tamen, re ipsâ diſcurriſſe. Nonnihil prætereà intercedit diſcriminis. An enim Chriſtus

Chriſtus Dominus, perinde ut promeritus eſt, gratus fuit Herodi Regi, Scribis, & Phariſæis? An Chriſtiana Religio Regibus, Principibus, aut Ethnicis arriſit Præſidibus? An divus Athanaſius Conſtantino aut Conſtantio Imperatoribus; Meletianiſve, Euſebianis, vel Arianis probatus eſt Præſulibus? An ſanctus Chriſoſtomus Theophilo Alexandrino, ſancto Epiphanio & pluribus aliis placuit Epiſcopis? An Arcadio, Eudoxiæ, & aliis Principibus? minimè profectò, ut ex Evangelicâ & Eccleſiaſticâ liquet Hiſtoriâ. At teſte Baldrico Dolenſi Archiepiſcopo, Guillelmo Malmeſburienſi, Guillelmo Neuburgenſi, &c. B. Robertus de Arbriſſello acceptus erat ſummis Pontificibus, Legatis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Abbatibus; Regibus, Principibus, Comitibus, Baronibus, & cæteris Nobilibus; Senibus & Adoleſcentibus, Viduis, & Virginibus, innumeriſque aliis cujuſlibet conditionis, ſexûs, & ætatis hominibus, perpaucis invidis atque improbis duntaxat exceptis; inter quos non diffiteor ſiniſtras de viro Dei exortas eſſe ſuſurrationes, quæ à ſiniſtra fama, aut ſiniſtro rumore diſſident plurimùm. Fama enim vel rumor eſt diſſeminatus diſperſuſque ſermo, ſine veri cognitione, ſive bonus, ſive malus: & hoc tantùm inter ſe differunt, quòd rumor de re recenti, fama verò de re etiam inveteratâ quamvis incertâ dicatur: at ſuſurratio eſt tacitus de re aliqua ſermo, Gallicè *un bruit ſourd*, & à famâ & rumore diſtinguitur ex Marco Tullio Cicerone, lib. 8. Epiſtolâ 1. *Quoad Cæſarem attinet*, inquit, *crebra, & non belli de eo rumores, ſed ſuſurrationes duntaxat veniunt. Alius equitem perdidiſſe, quòd opinor certè factum: alius ſeptimam legionem vapulaſſe: ipſum apud Bellovacos circumſideri, interclusum ab reliquo exercitu: neque adhuc certi quidquam eſt, neque hæc incerta tamen vulgò jactantur:*

ſed inter paucos, quos tu noſti planè, ſecretò narrantur. Non abſimili modo commentitia B. Roberti crimina non vulgo jactabantur: ſed inter paucos invidos tacitè referebantur. Siniſtræ itaque de eo fuerunt ſuſurrationes, non tamen ſiniſtra fama, aut ſiniſtri manarunt rumores. Planum iſtud fiet quatuor ſequentibus argumentis.

SUBSECTIO PRIMA.

Primum argumentum proponitur.

PRIMUM argumentum inde petitur, quòd ſummi Pontifices, Epiſcopi & Abbates, Principes & celeberrimi Scriptores, Robertum bonum rumorem collegiſſe verbis conceptis aſſerant. Ex innumeris teſtimoniis relatis in indice chronologico, & infrà referendis quædam hîc lubet breviter perſtringere.

1°. Ex ſummis Pontificibus, Urbanus ſecundus teſte Baldrico, cap. 2. num. 14. Cum Robertum concionantem, anno 1096. Andegavi audiit. *Intellexit, quod ſpiritus ſanctus os ejus aperuerit.* Paſchalis ſecundus, anno 1106. *Virum venerabilem & magnæ Religionis*, dùm adhuc viveret, appellavit, *qui Religionis ſtudiis indeſinenter inſiſtit.* Callixtus ſecundus, anno 1119. mortuum à duobus annis, *bonæ memoriæ, venerabilis memoriæ vocat Presbyterum.* Honorius ſecundus, anno 1126. *Fœlicis recordationis Presbyterum* nuncupat. Lucius ſecundus, anno 1144. eumdem Robertum *bonæ memoriæ & ſpectatæ Religionis Presbyterum* appellat.

2°. Ex Epiſcopis. Gerardus Engoliſmenſis Epiſcopus, Apoſtolicæ ſedis Legatus, chartâ datâ in Concilio apud Caſtellum Radulphi (*Chaſteaux-roux*)

celebrato ait. *Venerunt quidam ex diſcipulis bonæ memoriæ, ac magnæ ſanctitatis viri Roberti de Fontevrault.* Baldricus Dolenſis Archiepiſcopus, cap. 1. num. 4. *Venerabilem Robertum de Arbriſſello mundo Deus dedit ſpeculum, ſuffocatorem vitiorum, propagatorem & educatorem virtutum, omnium deſolatarum & erronearum perſonarum ſolamen & præambulum.* Beatus Petrus Pictavienſis Epiſcopus chartâ, anno 1112. datâ. *Cum itaque vir quidam magnæ Religionis, & bonæ opinionis, nomine Robertus de Arbriſſello loca ſolitaria diligenter inquireret.* Ex chartulario Abbatiæ de Rotâ. *Roberto de Arbriſſel viro magnæ autoritatis & infinitæ Religionis Herveus de Spinâ vir magnæ nobilitatis dedit Eccleſiam de Arbriſſel. Quod donum conceſſit Marbodus Redonenſis Epiſcopus.* Raimundus Bernardus Aginnenſis Epiſcopus loquens de primis B. Roberti Monialibus. *Pro ſolo Dei amore, & pro famoſa celebritate Religionis veſtræ, collocavimus eas in quadam Eccleſia, quæ in noſtra diœceſi eſt ſita, & locus ille nomen habet Paradiſus.*

3°. Ex Abbatibus. Sanctus Petrus, venerabilis, Cluniacenſis Abbas, lib. 2. Epiſtolâ 17. de ſua matre. *Flebat remotis arbitris coram notæ ſanctitatis viris, &c. Producta eſt eo uſque talis intentio, nec à cœpto curſu potuit fatigari, donec famoſo illi Roberto de Bruſſello ad ſe venienti, & ſecum aliquandiu moranti, &c.* Ex chartulario Rothonenſi. *Quod poſtquam donavit ſupradictus miles, cum Epiſcopo ſancti Maclouii, Iudicaële ſcilicet, nec non cum Vuillelmo Abbate ſancti Mevennii, & cum Abbate S. Salvatoris Iuſtino, &c. Cum quibus interfuit Robertus de Arbriſſel quidam ſanctiſſimus homo cum grege ſuorum confratrum, &c.* Joannes Dolenſis Abbas. *Piæ & venerabilis recordationis*

D. Roberti magiſtri, loci veſtri Fundatoris exhortationibus & precibus flexi deponimus querelam. Petrus Sulienſis Abbas. *Nos Sulienſes tanti viri tantique Doctoris honore debito præſentiam venerantes, ejuſque ſanctis admonitionibus deferentes, maluimus aliquid de proprio relaxare, quàm Sanctum Spiritum in ipſo, ſuâque glorioſiſſima congregatione irritare.*

4°. Ex Principibus, & Nobilibus. Fulco Comes Andegavenſis, & poſteà Rex Jeruſalem. *Domino Roberto de Arbriſſel, homini ſcilicet Religioſiſſimo, cujus admirabilis doctrina verbo ſanctæ prædicationis, & tonitruo ſanctæ exhortationis per totam Eccleſiam ſuâ fulget eloquentiâ, donavi, &c.* Aremburgis Comitiſſa Andegavenſis Robertum vocat *magnæ Religionis virum*, & ejus alumnas, *ſanctam & inſignem Sanctimonialium congregationem.* Conanus Britanniæ Comes. *Inſpirante Spiritus ſancti gratiâ commotus, ego Conanus Britanniæ Comes, videre loca ſanctorum cupiens, apud Fontem-Ebraldi veni: ibique multitudinem Sanctimonialium ac virorum non parvam ſub regula degentem circumſpiciens, &c.* Leonius de Lengiaco, (Lengeais) *Sciat ætas tam præſens, quam futura, quòd Leonius de Lengiaco locum illum, qui Calidus Furclius vocatur, donavit Deo, & magiſtro Roberto bonæ memoriæ viro.* Petrus de Gaſnachia (*de la Garnache.*) *Concedo Deo, & beatæ Mariæ & Sanctimonialibus Fontis-Ebraudi, in manu Domni Roberti de Arbriſſello, cujus prædicatione ſimul & exemplo bonæ vitæ Eccleſia illa fundata, ſub ſanctæ converſationis habitu ſoli Deo militat.*

5°. Ex Scriptoribus, Guillelmus Neuburgenſis lib. 1. cap. 15. *In tranſmarinis partibus, ſicut à majoribus accepi, tres memorabiles viri uno tempore fuêre*

Digitized by Google

ſcilicet Robertus cognominatus de Arbruſculo, Bernardus, & Vitalis. Robertus igitur famoſiſſimum illud Monaſterium fœminarum de Fonte-Ebraldi conſtruxit, & regularibus diſciplinis informavit. Fr. Andreas cap. 4. num. 20. refert Petrum Font-Ebraldenſem Monachum ſic allocutum fuiſſe latrones, qui B. Robertum ex equo deturbarant. *Nunquid non ſcitis, hunc hominem, quem modò de caballo injuſtè depoſuiſtis, Robertum eſſe de Arbriſſello, cujus odor ſuavis redolet in univerſo mundo?* Ex chron. m. s. Ricardi Pictav. *In illo tempore illud famoſiſſimum cœnobium fœminarum, quod dicitur Fons-Ebraldi, conſtituitur in Pago Pictaviensi à Roberto de Bruxello, juvante Pictavorum Petro Epiſcopo.* Guillelmus Malmeſburienſis lib. 5. *Robertus de Arbriſſel primus omnium hujus temporis ſermocinatorum famoſiſſimus, & profuſiſſimus, tantùm non ſpumeâ, ſed melleâ viguit eloquentiâ, ut hominibus certatim opes congerentibus, illud egregium Sanctimonialium Monaſterium apud Fontē-Ebraldi conſtituerit, &c.* Famoſus itaque, imò famoſiſſimus dicitur Robertus, perinde atque Judith, de qua cap. 8. v. 8. legitur. *Et hæc erat in omnibus famoſiſſima, quoniam timebat Dominum valdè: nec erat qui loqueretur de ea verbum malum.* Sic & Roberto palam & apertè nullus obloquebatur.

SUBSECTIO SECUNDA.

Secundum argumentum proponitur.

ILLE de quo ſiniſtra ſpargitur fama, & quidem exceſſus ſcandali, luxuriæ, novitatis, maledicentiæ, ambitionis, avaritiæ, hypocriſis & ſuperbiæ gra-

viſſimos memorans ille, inquam, minimè ab hominibus honoratur. Id nedùm experientiâ, ſed ſecundâ etiam conſtat Epiſtolâ, in quâ paſſim refertur, hujuſmodi rumorem, infamiam, odium ac malevolentiam Clericorum & Laicorum Roberto peperiſſe. Atqui Robertus fuit ab hominibus honoratus; & quidem VIVENS MAGNIS CUMULATUS EST HONORIBUS, MAIORIBUS MORIENS, MORTUUS MAXIMIS. 1°. A Nobilibus & pauperibus, Virginibus & Viduis, Senibus & Adoleſcentibus, necnon innumeris piis viris, qui ei indiviſim adhæſerunt. 2°. Ab Epiſcopis & Clericis, qui eum ad Concilium Pictavienſe & Balgentiacenſe evocarunt, magnificè apud ſummum Antiſtitem commendarunt, & ut in ſuis Diœceſibus nova inſtitueret Monaſteria vehementer obteſtati ſunt. 3°. A Romanis Pontificibus, qui eum *venerabilem, & magnæ Religionis virum, Religioniſque ſtudiis indeſinenter inſiſtentem*, dum adhuc viveret, appellarunt. Mortuum verò *bonæ memoriæ, fœlicis recordationis, & ſpectatæ Religionis Presbyterum* prædicarunt. 4°. A Regibus & Principibus, qui maximo favore eum proſecuti ſunt, & amplis ejus Ordinem Privilegiis exornarunt. 5°. A viris clariſſimis diſſidentibus, quorum inimicitias ad amicitiam conſuetudinemque traduxit. 6°. A peccatoribus, impiis, & latronibus, qui ad ejus pedes humiliter provoluti, effrænatam vitæ licentiam ejurarunt, ut in his diſſertationibus coruſcante luce meridianâ clariùs oſtendetur; & luculentum Baldrici Dolenſis Archiepiſcopi indicat teſtimonium, cap. 4. num. 21. *Erat autem acceptus Regibus, Epiſcopis, & Principibus, Clericis & quibuslibet popularibus.* Succinit Andreas cap. 3. num. 16. *Tantam namque gratiam Dominus ei contulerat, ut eum non tantùm Religioſi quique venerarentur, ſed*

Digitized by Google

etiam Reges & Principes ejus imperio libentiſſimè obſequerentur. Dignum quippe erat, ut creatura diligeret illum, quem à creatore diligi per operum jndicia non dubitabat. Nec utriuſque diffitetur ſcriptor Epiſtolæ, dicens in prima. *Tu quidem in mundo, quaſi montem excelſum aſcendiſti; ac per hoc in te linguas, & oculos hominum convertiſti.* Et *mundus penè totus te ſequitur.* In ſecundâ verò. *Capiti noſtro Chriſto congratulor, cujus per te bonus odor, ipſo donante, longè lateque diffunditur.* Et. *Meminiſſe debes cæleſtium animalium, in quorum numero es reputatus. Nam & ipſe Evangelium Chriſti circumferens, ſuper quadrigas Aminadab conſcendiſti.* Igitur ſiniſtra hujuſmodi de B. Roberto ſparſa nunquam eſt fama. Celebritatem enim nominis, & probroſam de eodem famam, eodem tempore, & apud eoſdem vulgatam, duo contradictoria, quæ à mutuâ ſocietate abhorrent, nemo non dixerit, uno excepto Roſcelino, everſæ mentis Philoſopho, & perfrictæ frontis Hæretico, cujus quidem mox relata verba, quomodo cum præcedentibus & ſubſequentibus criminationibus cohæreant, non intelligo. Quis enim concipiat per hominem infamem, omnibus odioſum, & exiſtimatione minutum, Chriſti bonum odorem longè, latèque diffundi?

Miratus ſum olim vehementer, mulierem eodem tempore, quo Judæi de Chriſto Domino impiè effutiebant, *in Beelzebub Principe Dæmoniorum ejicit dæmonia*, Extuliſſe vocem & dixiſſe. *Beatus venter qui te portavit, & ubera quæ ſuxiſti.* Sed admirandum magis mihi videtur, quod Robertus ab eodem ſcriptore, & in eâdem Epiſtolâ, bonus odor Chriſti, & ſimul homo pernicioſus, mulieroſus, novator, maledicus, ambitioſus, avarus, hypocrita, & ſuperbus exiſtimetur.

SUBSECTIO TERTIA.

Tertium argumentum proponitur.

SI ſiniſtra de B. Roberto & Monialibus ejus tam longè diſcurriſſet fama, cur ſummi Pontifices eam non inaudiſſent? cur probitatem, ſanctimoniam & virtutem Font-Ebraldenſium ſolummodò comperiſſent: cur de eorum fictis criminibus nihil prorsùs, de commentitiis autem Sempringhamenſis ordinis exceſſibus ſtatim accepiſſent? Expendantur Urbani ſecundi, Paſchalis ſecundi, Gelaſii ſecundi, Callixti ſecundi, Honorii ſecundi, Innocentii ſecundi, Lucii ſecundi, & Eugenii tertii SS. PP. citata initio indicis chronologici de inſignibus Font-Ebraldenſium virtutibus teſtimonia. Ex quibus conſtat, quàm inutiliter urſerit contra nos P. Alexander exemplum ſancti Gilberti Sempringhamenſis, laſciviæ famam ſubeuntis. Vide reflexionem prædicta teſtimonia ſubſequentem, pag. 22. contracti Clypei.

SUBSECTIO QUARTA.

Quartum argumentum proponitur.

VEL ſiniſtra hujuſmodi fama ad aures Summorum Pontificum, Epiſcoporum, & Abbatum; Regum, Principum, & Nobilium, omnium vel plurimorum accidit, vel non accidit. Secundum impoſſibile prorsùs eſt; alias fama hæc neque eſſet, neque poſſet vocari fama; cum ſermo non eſſet diſperſus &

diſſeminatus, quod tamen famæ competit eſſentialiter. Sic de Chriſto Domino dicitur Luc. 4. v. 37. *Et divulgabatur fama de illo in omnem locum regionis.* Et Eſther. 9. v. 4. de Mardochæo. *Fama quoque nominis ejus per cunctorum ora volitabat.* Quin etiam à Poëtis alata fama depingitur, quia ad omnes vel plurimos citiſſimè circumfertur.

Si verò ſecundum dixeris, nimirum apud cunctos aut ſaltem pleroſque ſiniſtrum hujuſmodi percrebuiſſe rumorem; cachinnum tenere non potero, ut cujuſlibet generis ſaltem plurimi hominem notis omnibus turpitudinis inſignem certatim venerati ſint. An tanto numero Ordini Font-Ebraldenſi addixiſſent ſe nobiliſſimæ Matronæ & Virgines? An etiam Roberto adjungere ſe tot pii viri voluiſſent? An ipſe in Concilio Pictavienſi, & Balgentiacenſi inter Cardinales, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & Comites conſediſſet? An à beato Petro Pictavienſi Epiſcopo ita magnificè apud Paſchalem eſſet celebratus? An ab aliis Epiſcopis in ſuas Diœceſes ad nova conſtruenda Cœnobia tanto ardore advocatus? An à Summis Pontificibus bonæ memoriæ, fœlicis recordationis, memoriâ dignus nuncupatus? An à Regibus, Principibus, & Nobilibus, tot & tantis privilegiis, favore, & congiariis locupletatus? An ad diſcordias virorum honore & nomine illuſtrium definiendas accerſitus? Ne longum ſit, an vivens magnos honores, majores moriens, mortuus maximos fuiſſet adeptus? Incredibilia ſunt iſta, & apud cordatos viros, ut opinor, fidem nunquam habitura.

Nec dicat P. Alexander paucos huic ſiniſtro rumori fidem adjunxiſſe. Nam imprimis vituperatio & benevolas ſemper experitur aures, & credulam mentem, & parata verba, quæ citò divulgent, & amplificent, quod exceperunt convitium. *Sunt hominum mentes*, inquit ipſe Prædicator pag. 634. *ad fidem*

maledictis adhibendam proclives. Et re quidem ipsâ neſcio quâ innata malitiâ virtutibus proximi derogemus fidem, ejus verò vitiis tribuamus. Probitatem quam oculis cernimus, quam auditione accipimus, aut minuimus dubitando, aut ſiniſtrè interpretando eludimus. Hoc breve dicam, vitium alienum ſemper certum videtur & exploratum, virtus verò penè nobis incredibilis. Dicimus enim: *Si quis ſtudet & vacat humilitati, hypocrita eſt: ſi patientiæ, timidus eſt: ſi juſtitiæ, impatiens eſt: ſi ſimplicitati, fatuus eſt: ſi prudentiæ, malitioſus eſt: ſi maturitati, phlegmaticus eſt: ſi jucunditati, diſſolutus eſt: ſi religioni ſingularis eſt: ſi ſocietati, ſecularis eſt: ſi ſilentio & paci, diſſimulator eſt: ſi aliorum correptioni, præſumptuoſus eſt: ſi inſtat vigiliis & orationibus, indiſcretus eſt: ſi dormitioni, ſomnolentus eſt: ſi prædicationi & aliorum ſaluti, appetitor laudis eſt: ſi deſiſtat, negligens eſt: ſi habet gratiam hominum, adulator eſt: ſi adulari renuit, dicitur quòd ſuperbus eſt.* Et ex ſancto Iſidoro libro 3. de ſummo bono. *Faciliùs vitia uniuſcujuſque, quàm virtutes intendimus: nec quid boni quiſque geſſerit, agnoſcere, ſed quid mali egerit, perſcrutamur.* Ideo, opinor, teſtes ſui ipſius Apoſtolos conſtituit Chriſt. dom. Act. 1. ℣. 8. *Accipietis virtutem ſupervenientis Spiritûs S. in vos, & eritis mihi teſtes in Hieruſalem, & in omni Judæa, & Samaria, & uſque ad ultimum terræ.* Cujus verò actûs vel eventûs Salvatoris teſtes erunt Apoſtoli? probroſæ crucis, & ignominioſæ Paſſionis? an Reſurrectionis glorioſæ? Hugo ibi. *Eritis mihi teſtes reſurrectionis, verbo & exemplo, vel ſignis.* Et cur non paſſionis teſtes producit Chriſtus, ſed Reſurrectionis? ſcilicet ignominia paſſionis nullo negotio fidem poterat habere: ſecùs reſurrectionis gloria. Nam præclara aliorum facta vel eventa vix credibilia ſunt: turpia verò facinora omnibus illicò perſuaſiſſima. Quod ſi de cæteris vitiis & ſceleribus verum eſt, verius eſſe conſtat quoad laſciviam

Digitized by Google

laſciviam. Sic avidè feruntur mortales ad credendas in re luxuriæ criminationes. Quomodo igitur tot tamque diverſi generis viri, Pontifices ſcilicet, Legati, Archipræſules, Epiſcopi, & Abbates; Reges, Principes, Comites, Barones, & cæteri Nobiles; Senes & Adoleſcentes, Viduæ & Virgines, Latrones & Meretrices, aliique innumeri cujuſlibet ætatis, ſexûs, & conditionis homines ſiniſtro de B. Roberto diſcurrenti rumori fidem non adhibuiſſent? quomodo ipſum ſingulari obſervantiâ coluiſſent? Scilicet prædictarum ſcriptores Epiſtolarum hujuſmodi rumori ſoli credidiſſent? ſoli Robertum monuiſſent? ſoli ejus imprudentiam vel impudentiam contumelioſis Epiſtolis caſtigaſſent? ſoli ſacrilegum ejus cum Monialibus accubitum petulantiſſimè deriſiſſent? Quis credat?

Itaque undequaque patet, nec ſiniſtram famam, nec probroſum de B. Roberto ejuſque alumnis diſſeminatum eſſe rumorem; quamvis de ipſis apud perpaucos invidos & ſceleratos ſiniſtræ fuerint ſuſurrationes; quibus conceſſis, mecum non pugno, ut pater autumat Alexander, cum poſteà quæro, *cum tantus taliſque fuerit Robertus, quomodo in ſuſpicionem adductus?* (Apud aliquos nimirum, ſiniſtris ſuſurrationibus, non verò ſiniſtrâ famâ, aut ſiniſtro rumore) *Et reſpondeo id contigiſſe ex antiquâ Satanæ malignitate, &c.* Prædicator ipſemet videtur pugnantia loqui, qui poſtquam verbis diſertis ſcripſit, pag. 647. ſiniſtram de B. Roberto *vulgatam* eſſe famam, poſteà velut ſui immemor, ſuſtinet ipſum fuiſſe integerrimæ famæ. *Niſi enim*, inquit, pag. 656. *integerrimæ famæ, & caſtiſſimæ converſationis fuiſſet, tam ſanctum officium ipſi non demandaſſet Urbanus ſecundus.* Certè is de quo ſiniſtra hujuſmodi *vulgata* eſt fama, dici quidem poteſt

Digitized by Google

caſtiſſimæ converſationis, ſed integerrimæ famæ nequit prædicari.

Dictorum repugnantia in quam lapſus eſt Prædicator, magis ac magis eluceſcit ex reſponſione quarto argumento, quod verbis iſtis refert, pag. 643. *
„ Quartum argumentum Patris à Manu-firmâ ex eo petitur, quòd hujus autor Epiſtolæ, ſe ea quæ ſcribit, famâ „ diſcurrente ſiniſtrâ, audiviſſe teſtetur. Porrò (inquit) „ ſiniſtra nunquam de B. Roberto diſcurrit fama. Si „ enim probroſus hujuſmodi de illo ſparſus eſſet rumor, „ quomodò bonæ memoriæ, fœlicis recordationis, & „ memoriâ dignus fuiſſet nuncupatus? quomodò acceptus fuiſſet Regibus & Principibus, Epiſcopis & „ Clericis, Conſulibus & quibuſlibet popularibus? „ quomodo ſummorum Pontificum, Legatorum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & celeberrimorum „ Scriptorum teſtimoniis & laudibus celebratus?
„ Huic autem argumento ſic reſpondet. * Equidem „ ſi fama illa ſiniſtra vera fuiſſet, ſi virorum proborum „ innixa teſtimonio, SI PUBLICA, & omnium animos occupaſſet, ſi præclarum venerabilis Roberti de „ Arbriſſello nomen infuſcaſſet, imminuiſſetque ſummam, quæ de illius caſtitate & ſanctimoniâ apud bonos omnes erat; opinionem; iſtud Patris à Manu-„ firma non infirmum eſſet argumentum: ſed cum fama „ illa ſiniſtra tenebriones quoſdam ac nebulones duntaxat authores habuerit, cùm fuerit omninò mendax, cùm pauci fidem ipſi adhibuerint, cùm facilè „ fuerit diſſipata, ac beati viri ſanctitas longè latéque „ nota & celebrata putidis illis calumniis ſuperior extiterit: nihiloſecius acceptus fuit Regibus & Principibus, Epiſcopis & Clericis, Conſulibus & plebi. Nihiloſecius Summorum Pontificum, Præſulum, & illuſtrium Scriptorum teſtimoniis celebratus eſt.) *Quæ reſponſio ſtudioſiùs hîc exagitanda eſt.*

Digitized by Google

1°. *Equidem ſi fama illa ſiniſtra publica fuiſſet, iſtud Patris A Manu-firma non infirmum eſſet argumentum.* Atqui fama illa publica fuit, ſi primæ autori Epiſtolæ credatur. *Te talia egiſſe & adhuc agere fama diſcurrente ſiniſtra audivimus.* Item. *Mulieribus quibusdam, ſicut fama ſparſit, ſæpè privatim loqueris.* Et ſecundæ ſcriptori epiſtolæ. *Cùm quædam à te dici & fieri referuntur, quæ nec ſanæ doctrinæ, nec honeſtæ vitæ conveniant.* Item. *Converſationem tuam plurimi reprehendunt, nec ſolùm Eccleſiaſticæ, ſed & vulgares perſonæ.* Et Patri Alexandro, qui ſubinde ſcribit famam hujuſmodi fuiſſe *vulgatam.* Iſtud igitur Patris à Manu firma non infirmum eſt argumentum: proindeque immeritò fragile vocatur à Patre Natali pag. 649.

2°. Prædicator dicendo *equidem ſi fama illa ſiniſtra publica fuiſſet, iſtud patris à Manu-firma non infirmum eſſet argumentum, ſed cum fama illa, &c.* innuit argumentum hoc infirmum eſſe, quia fama illa non fuit publica; ſive innuit famam illam non eſſe publicam, ne firmum ſit Patris à Manu-firma argumentum. Nihilhominùs tamen, velut ſui oblitus, identidem aſſerit eamdem famam fuiſſe *vulgatam.* Exilis ejus ratiocinii ſumma hæc eſt. *Siniſtra fama diſcurrit de Chriſto, de primis Chriſtianis, de ſanctis Athanaſio, Chryſoſtomo, Gilberto Sempringhamenſi, & aliis: quidni ergo & contra Robertum de Arbriſſello fama ſiniſtra vulgata ſit, quæ Goffridum Vindocinenſem impulerit, ad eam ſcribendam Epiſtolam de quâ agimus.* Exile dico ratiocinium, ex quo nihil aliud excuti queit, quàm ſiniſtrum de beato Roberto rumorem manare potuiſſe, minimè tamen, reipsâ manaſſe. Alioquin ejuſdem vi ratiocinii, ſi qua illi ineſſet, perinde probaretur ſiniſtram hujuſmodi de P. Alexandro reverâ ſerpſiſſe fa-

mam; quod ipſe tamen nunquam conceſſerit.

3°. *Cum fama illa ſiniſtra tenebriones quoſdam ac nebulones duntaxat authores habuerit, cum pauci fidem ipſi adhibuerint, &c.* Res ita habet omninò, quamvis utriuſque ſcriptor Epiſtolæ diſſentiat. Attamen quæro à Prædicatore, qui fieri potuerit, ut ſiniſtræ illi *vulgatæ* famæ pauci fidem adjunxerint? Quænam arcana vis à credendis ſparſis contra beatum Robertum calumniis averterit homines, *quorum*, ipſo P. Natali Teſte, *mentes ſunt ad fidem maledictis adhibendam proclives.* Id ſanè cùm ſit incredibile, longè veriſimilius eſt, *famam iſtam, ſicut tenebriones quoſdam ac nebulones duntaxat authores habuit*, ita apud eoſdem ſolummodò diſcurriſſe. Ex quo conficitur inſcitè dici *famam*, quia ex Marco Tullio de eo, *quod non vulgo jactatur, ſed inter paucos ſecretò narratur, non fama, non rumor eſt, ſed tantùm ſuſurratio.*

CAPUT SECUNDUM.

Beatus Robertus in abjectâ fratrum, & ſuſceptâ ſororum gubernatione à culpâ eximitur.

SECUNDUM criminationis Caput ex ſecundâ Epiſtolâ depromptum. *Ultimum, ſed à primo non diſcrepans, tua, ut putatur, reprehenſionis Capitulum eſt, de profeſſione vitæ Canonicæ, & ſtabilitate loci prioris, ſuſceptaque curâ regiminis ſuper fratres ibidem profeſſos, quæ omnia propter ſorores diceris contempſiſſe. Super quo, vel rationabilem à tuâ fraternitate petimus reſponſionem, vel certam tibi timemus damnationem.* Ubi duo Scriptor vitio vertit beato Roberto, quod fratrum ab-

jecerit ; & ſororum ſuſceperit gubernationem : quæ quidem illi eſſe probro minimè poſſunt.

SECTIO PRIMA.

Beatus Robertus in abjectâ fratrum gubernatione à culpâ eximitur.

AMPLISSIMOS dignitatis gradus duos conſecutus erat B. Robertus, alterum Abbatis, alterum Apoſtolici concionatoris, inter quos nulla ſocietas poterat intercedere. Dignitas enim Abbatis in Monaſterio ſuo reſidendi ; dignitas verò Apoſtolici concionatoris varias regiones peragrandi neceſſitatem illi imponebat. Quod ultimum munus ab Urbano ſecundo Pontifice delatum ut majori curâ atque diligentiâ exequeretur, fratrum gubernationem decrevit deponere & Abbatis dignitatem. Ita Baldricus, cap. 2. num. 15. *Cogitavit igitur ab eis diſcedere. Conſiderabat autem quomodo id abſque eorum moleſtia poſſet implere. In præſentiâ Pontificis Andegavenſis, in cujus diœceſi morabantur Canonici, ventum eſt, & juxta rei conſiderationem, & Domini Papæ juſſionem, ex Epiſcopi Conſilio, & ex Clericorum permiſſione, Robertus liberè diſceſſit, ut liberiùs prædicationi vacaret, & expeditus quocunque, & quibuſcunque poſſet, proficeret.* Quæ ultima verba ponderanda ſunt ; ex illis enim conſtat beatum Robertum Abbatiâ ſe abdicaſſe. 1°. *Ex Epiſcopi conſilio.* 2°. *Ex Clericorum permiſſione.* 3°. *Ut prædicationi*, quæ ipſi ex mandato Summi Pontificis incumbebat, *liberius vacaret, & expeditus quocunque, & quibuſcumque poſſet, proficeret.* In quo quidquam vitu-

perandum non facilè poterit quis deprehendere. ***Non ſine communibus lacrymis*** (pergit Baldricus, num. 16.) *avulſus à Canonicis , regiones & provincias cœpit perambulare , & priùs , paucis aſſociatus aſſeclis , per plateas & compita ſemen verbi Dei paſſim ſeminare. In modico ſexus utriuſque plures adjuncti ſunt ei : quia neminem , cui Deus aſpiraſſet , audebat repellere. Ipſe adhuc non habebat ubi caput reclinaret , niſi quem neceſſitas coëgiſſet. Poſtquam à Canonicis diſceſſerat , noluerat adhuc locum quemlibet eligere : ut liber , & ſine baculo , & ſine perâ poſſet procedere.* Videre mihi videor ſanctum Sigfridum diſſeminandi Evangelii causâ in Sueciam proficiſcentem. Profectionem ejus narrat Joannes Magnus lib. 17. hiſtoriæ Gothorum & Sueonum cap. 18.

,, * Cum Olaus cognomento SchotKonung , juxta mo-
,, rem priorum Suetiæ Regum , qui cum Anglis contra
,, Danos confœderari conſueverant , integerrimam ami-
,, citiam cum Mildredo Anglorum conjunxiſſet , diu-
,, que inviolatam conſervaſſet , tandem per idoneos Le-
,, gatos apud eum egit , ut viros aliquot optimos in
,, Chriſtianâ lege eruditos , ad ſe mittendos curaret.
,, Quam quidem petitionem ipſe tanquam ex pio af-
,, fectu depromptam , decrevit optimo effectui quan-
,, tocyus mancipare. Proinde Mildredus , alias Eldredus,
,, ut erat in Chriſtiana fide propaganda ſtudioſiſſimus,
,, ità nullâ intercedente morâ , congregato omnium
,, Pontificum & Prælatorum Concilio , juſtam & ho-
,, neſtam Sueonum Regis poſtulationem coram omni-
,, bus aperit , hortaturque ut ex ſuo numero aliquot
,, idoneos dilatandæ Chriſtianæ fidei miniſtros eligant ,
,, qui labores & vitæ pericula , ac mortem pro Chriſti
,, gloria ſufferre velint. Actum eſt hoc pium negotium
,, triduano Concilio , dictæque hinc inde variæ ſen-
,, tentiæ , nunc de periculorum & laborum magnitu-
dine ,

dine, nunc de gentium illarum ſeveritate, nunc de" dulcedine patriæ in perpetuum exilium commutandæ." Tunc ſanctus Archiepiſcopus Eboracenſis Sigfridus" (*Autor Martyrologii Anglicani Sigfridum vocat" duntaxat Archidiaconum*) cum conſideraſſet nullos" aut pauciſſimos eſſe, qui auderent aut vellent ſe tot" tantiſque periculis committere, in medium omnium" ſurgens, longam & eruditam ac pietate pleniſſimam" orationem habuit, in cujus fine ſe ad tam longin-" quam & difficillimam peregrinationem ſponte offe-" rens, ſuo exemplo oſtendit primum in Pontificatu," primum eſſe debere ad Martyrium & perſecutionem" pro Chriſti gloriâ ſuſtinendam. Excepta eſt ea ſan-" ctiſſimi Pontificis oratio, non ſolùm à Pontificibus," verùm etiam ab optimo Rege Mildredo per ſummam" congratulationem: actæque ſunt ei in publico Regni" Conſiſtorio ſingularibus verbis gratiæ, quòd in hu-" meros ſuos tantam negotii molem ſuſcipere decre-" viſſet. Itaque poſtquam omnia ad tam glorioſam pe-" regrinationem neceſſaria, diſpoſita eſſent, videri po-" terant in Pontificibus ac Proceribus, & præſertim in" optimo Rege gemini affectus, unus mœroris, alter" gaudii. Gaudebant quidem per tam inſignem & piiſ-" ſimum Pontificem divinæ voluntati gratiſſimum præ-" ſtari obſequium: dolebant verò plurimùm, quòd ab" eis ampliùs non videndus abiret, quòd tanti paſtoris" ſolatio deſtituerentur, quòd dulciſſimam patriam" perpetuo exilio commutaret, quòd in totum reli-" quum vitæ tempus inter duros paganos in ſummo" diſcrimine victurus eſſet. Quis etiam dubitat maxi-" mum in eo Rege fuiſſe dolorem, quando tam pro-" pinquum conſanguineum ſuum à ſe, non ſecùs ac" dimidium animæ ſuæ, avelli pateretur. Sed neceſſe" fuit Regi Anglorum voluntati Regis Angelorum" ſubſervire.] Adverte maximam inter ſanctum Sigfri-

dum & beatum Robertum ſimilitudinem.

Sanctus Sigfridus ad prædicandum Suecis Evangelium ſeſe obtulit : beatus Robertus ad illud idem in omnes gentes ſpargendum. *Vt liberiùs prædicationi vacaret, & expeditus quòcumque & quibuſcumque proficeret.* Officioſa ſancti Sigfridi delatio ab Angliæ Præſulibus admiſſa fuit : & beati Roberti officium ſe ſuamque operam deferentis ab Epiſcopo Andegavenſi comprobatum. *Ex Epiſcopi Conſilio Robertus liberè diſceſſit.* Sanctus Sigfridus Archiepiſcopatum depoſuit : Abbatiam Robertus abdicavit. Magnum ſui deſiderium diſcedens Sigfridus apud Anglos reliquit : à ſe Canonici regulares Robertum invitiſſimi dimiſerunt. *Non ſine communibus lacrymis avulſus à canonicis.* Maximæ ſancto Sigfrido actæ ſunt gratiæ, quòd ſibi ſuum abrogaverit Epiſcopatum, Evangelicam exteris doctrinam traditurus : quis ergo niſi inſanus vel impius Robertum de ſimili abrogatione criminetur ?

SECTIO SECVNDA.

Beatus Robertus in ſuſceptâ ſororum gubernatione à culpâ eximitur.

MIRUM eſt, quot & quantis dotibus pollere debeat Monialium director, ſcientiâ nimirum, probitate, prudentiâ, zelo animarum, & ſummâ dexteritate. Scientiâ, quâ diſcernat inter lepram ac lepram, & opportuna adhibeat remedia, ut potè in vitâ ſpirituali verſatiſſimus. Probitate, ita ut verbo & exemplo Moniales inflammet ad viam perfectionis religioſæ percurrendam, illudque Actuum 1. v. 1.

Digitized by Google

poſſit ei adſcribi. *Cœpit facere, & docere.* Prudentiâ, in ſalutaribus ſcilicet monitis ſuggerendis, in pœnitentiis imponendis, & in occaſionibus peccati removendis. Zelo animarum, quo omnia omnibus factus, omnes Chriſto lucrifaciat, munus ſuum valdè laborioſum atque arduum cum debitâ alacritate obeat, ſpiritualemque animarum profectum omni ſtudio ac diligentiâ promoveat. Summâ tandem dexteritate, quâ inſurgentium ſcrupulorum nubes depellat, ſui ipſius abnegationem cùm externam, tùm internam ſuadeat, puſillanimes in ſpem æternæ ſalutis erigat, implens illud D. Pauli Roman. 12. v. 15. *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus.* His autem & pluribus aliis dotibus inſtructiſſimus Robertus, à ſanctis Bernardo Tironienſi, & Vitali de Moritonio mulieribus Religioſis præfectus eſt. Sic Guillelmus Neuburgenſis, lib. 1. de Rebus Anglicis, cap. 15. Ubi de tribus his ſanctis viris loquens, ait. † In transmarinis partibus, ſicut à majoribus accepi, tres « memorabiles viri uno tempore fuêre: ſcilicet Ro- « bertus cognominatus de Arbruſculo, Bernardus, & Vi- « talis. Hi non ignobiliter eruditi, & ſpiritu ferventes, « circuibant per caſtella & vicos, ſeminanteſque ſecun- « dùm Iſaiam ſuper omnes aquas, de converſione mul- « torum fructus colligebant, pio inter ſe placito conſti- « tuto: quòd Robertus quidem fœminarum communi « labore ad meliora converſarum ſollicitudinem gere- « ret; Bernardus verò & Vitalis maribus propenſiùs « providerent. Robertus igitur famoſiſſimum illud Mo- « naſterium fœminarum de Fonte-Ebraldi conſtruxit, « & regularibus diſciplinis informavit. Bernardus verò « apud Tirocinum, & Vitalis apud Saviniacum Mo- « nachis regulariter inſtitutis, ſuos quiſque ab aliis « per quaſdam præceptorum proprietates diſtinxit.]
Ex quo patet Robertum non ſeipſum in regimen Mo-

nialium interpoſuiſſe, ſed illud à ſanctis viris ei velut peculiari ad eam rem induſtriâ divinitùs prædito fuiſſe demandatum.

Dolore tabeſcebat, & diſrumpebatur humani generis hoſtis antiquus, tot animas facundis beati Roberti concionibus à ſe abripi; augurabatur futuram gloriam & amplitudinem Religioſi illius Ordinis, quem videbat à tanto Doctore inſtitui; nefarias mulieres, & publicæ libidinis victimas conteri, pœnitere, atque provehi ad apicem ſanctitatis, vix ac ne vix quidem patiebatur. Ne majora igitur damna contraheret, Hæreticum appoſuit, qui ſub nomine illuſtriſſimi Cardinalis, & eximii Præſulis, Robertum de imminenti periculo moneret, ipſum que variis ſacræ Scripturæ locis à Monialium præfecturâ detorqueret.

Quid ageret Robertus? Noverat Satanam Chriſtum Dominum etiam tentaſſe, adhibitis Sacræ Scripturæ ſententiis: noverat ipſum nonnunquam transfigurare ſe in Angelum lucis: Noverat tunc ſollicitè noſtram damnationem negotiari, cùm ſaluti noſtræ proſpicere videtur & conſulere. Deſpexit ergo tentatorem, irriſit ejus fallaciam, nec fœminarum abjecit moderationem, quam non ſponte ſuâ, ſed ſanctorum inſtinctu virorum ſuſceperat, divum Hieronymum imitatus, cui inſulſi obloquebantur Ariſtarchi, quòd ſcriberet ad mulieres, eaſque viris anteponeret: quorum cavillationes venuſtiſſimâ & copioſiſſimâ retundit devoti ſexûs celebratione ſacris ex litteris deductâ. † Scio me, Principia in Chriſto filia, (*inquit Epiſt.* 140.) à pleriſque reprehendi, quòd interdùm ſcribam ad mulieres, & fragiliorem ſexum maribus præferam: & idcircò debeo primùm obtrectatoribus meis reſpondere, & ſic venire ad diſputatiunculam, quam rogaſti. . . . Sacerdotes & Phariſæi crucifigunt Filium Dei: & Maria Magdalene plorat ad Crucem,

unguenta parat, quærit in tumulo, hortulanum interrogat, Dominum recognoſcit, pergit ad Apoſtolos, repertum nuntiat; illi dubitant, iſta confidit. Rebecca pergit ad interrogandum Deum, & ſuá reſponſione condigna audit oracula. [a] *Duæ gentes in utero tuo, & duo populi de ventre tuo dividentur.* Ruth, & Heſter, & Judith tantæ gloriæ ſunt, ut ſacris voluminibus nomina indiderint. Anna Prophetiſſa generat filium Levitam, Prophetam, Judicem, ſacro crine venerabilem, & offert eum in Tabernaculum Dei. Thecuites mulier Regem David interrogatione concludit, ænigmate docet, exemplo Dei mitigat. Legimus & aliam ſapientem fœminam, quæ, cum obſideretur civitas, & propter unum perduellem, dux exercitûs Joab muros ariete quateret locuta eſt ad populum in ſapientia ſua, & tantæ multitudinis periculum muliebri autoritate ſedavit. Quid loquar de Regina Saba, quæ venit à finibus terræ audire ſapientiam Salomonis, & teſtimonio Domini condemnatura eſt omnes viros Jeruſalem? Eliſabeth verò prophetat & voce. Anna filia Phanuelis in templo templum efficitur Dei; & quotidiano jejunio cœleſtem invenit panem. Sequuntur mulieres Salvatorem, & miniſtrant ei de ſubſtantiâ ſuâ. Ille qui de quinque panibus quinque millia hominum, exceptis mulieribus & parvulis, aluit, eſcas ſanctarum mulierum non recuſat accipere. Cum Samaritanâ loquitur ad puteum, & ſaturatus converſione credentis, cibos, qui coëmpti fuerant, negligit. Apollo, virum Apoſtolicum, & in lege doctiſſimum, Aquilla & Priſcilla erudiunt, & inſtruunt eum de viâ Domini. SI DOCERI A FOEMINA NON FUIT TURPE APOSTOLO: MIHI QUARE TURPE SIT POST VIROS DOCERE ET FOEMINAS?

a. Gen. 25.

CAPVT TERTIVM.

Beatus Robertus in vituperatione Clericorum à culpâ eximitur.

TERTIUM reprehenſionis caput eâdem ex Epiſtola petitum. *Porrò in ſermonibus quibus vulgares turbas, & imperitos homines docere ſoles, non tantùm præſentium, ut decet, vitia reprehendis, ſed & dignitatum crimina, quod non decet, enumeras, carpis, laceras. Hoc non eſt prædicare, ſed detrahere.* Et pauló poſt. *At enim tibi fortè conducit, ut cum vulgari opinione omnis Eccleſiæ ordo viluerit, tu ſolus cum tuis habearis in pretio. Sed hæc aſtutia veterem hominem ſonat; terrena, animalis, diabolica eſt.* Et mox. *Videmus egentes Presbyteros à ſuis deſertos gregibus, velut indignos quibus offerant, quorum ſe commendent orationibus, à quibus accipiant injunctiones pœnitentiæ, quibus decimas ſolvant & primitias: qui omnes tuo ſe queruntur præjudicio condemnatos. Videmus ad te turbas undique confluentes, tibi tuiſque honores, quos propriis debebant Sacerdotibus, impendentes, &c.* Ubi beato Roberto objicitur, quòd eâ mente Clericos cenſoriâ notâ inureret, ut ſolus ipſe probus haberetur, & benè moratus.

SECTIO PRIMA.

Beatus Robertus, non Eccleſiaſticum Ordinem; ſed pravorum carpſit crimina Clericorum.

NOVA Prædicatoris Apoſtolici dignitate auctus ab Urbano ſecundo Robertus, ſceleribus omnibus bellum indixit, & totam Galliam, ſicut anteà Epiſcopatum Redonenſem, ſimoniâ, luxuriâ, cæteriſque vitiis ſtatuit expurgare. Britanniam itaque, Normanniam, & alias Galliæ Provincias concionando luſtrare perrexit, cùm priùs ſocios & conſortes Apoſtolici muneris prælaudatos Bernardum & Vitalem ſibi aſſumpſiſſet.

Iter ejus in Britanniam refertur in chartulario Rothonenſi, in quo *ſanctiſſimus* prædicatur, & interfuiſſe dicitur tranſlationi particulæ Dominicæ Crucis datæ Rothonenſibus Monachis à Vualterio illius loci Domino. † Notum ſit tam præſentibus, quam " futuris Eccleſiæ Dei fidelibus, quòd Vualterius Ju- " dhaclis filius de Loheac, quidam miles Nobiliſſimus, " & illius caſtri Princeps, &c. S. Salvatori, ſuiſque " Monachis quoddam venerandum & honorabile ſan- " ctuarium, quod frater ſuus videlicet Riochus de Lo- " heac, dum iret in Jeruſalem, acquiſierat, videlicet " quamdam particulam Dominicæ Crucis, & de Se- " pulchro Domini, & de cæteris Domini ſanctuariis cum " maximis donariis, quæ ſubter ſcribentur, honorificè " dedit, & in perpetuum habere conceſſit. Quòd poſt- " quam donavit, ipſe ſuprà dictus miles, cum Epiſ- " copo ſancti Maclouii, Judicaële ſcilicet, & cum ſuo " Archidiacono Rivallono; necnon cum Vuillelmo "

„ Abbate S. Mevennii, & cum Abbate ſancti Salva-
„ toris Juſtino, non cum minima turba ejuſdem Ec-
„ cleſiæ Monachorum, CUM QUIBUS INTERFUIT
„ ROBERTUS DE ARBRUSSEL QUIDAM
„ SANCTISSIMUS HOMO CUM GREGE SUO-
„ RUM CONFRATRUM, nec non cum maximo con-
„ curſu populorum, &c. Hoc factum eſt in Caſtello
„ de Loheac juxta ipſam Eccleſiam Monachorum, 3.
„ cal. Julii. In Natali Apoſtol. Petri & Pauli, anno
„ ab Incarnatione Domini, 1101.

Iter ejus in Normanniam habetur in Martyrologio Sanctorum Ordinis divi Benedicti: ibi enim de ſancto Bernardo Tironienſi legitur. *Se S. Vitali de Mauritaniâ, & Roberto de Arbriſſellis adjunxit: cum illis peragravit Normanniam maritimam, verbum Dei prædicando, nihil prætermittens ut vitia eradicaret, &c.*

Peragratio verò diverſarum Provinciarum memoratur à Goffrido Groſſo in vita prælaudati Bernardi Tironienſis, cap. 24. ubi de eo loquens ait. † Exæ-
„ ſtuans etenim amore paupertatis ac ſolitudinis, in
„ ſecretum eremi, à quo fraudulentâ violentiâ fuerat
„ abſtractus, rediit, & mentem ſuam, quæ ibi reman-
„ ſerat, invenit. Qui Domno Roberto de Arbriſſello,
„ atque Vitali de Mauritonio, quorum jam ſuperiùs
„ mentionem fecimus, conjunctus, Gallicanas Regio-
„ nes nudis pedibus peragrabant, in Villis, Caſtellis,
„ atque Urbibus verbum Dei prædicabant, homines ab
„ erroribus vitæ ſuæ eruentes, quaſi validi ac robuſtiſ-
„ ſimi arietes divinæ potentiæ viribus adjuti, muros
„ infidelitatis atque vitiorum impellentes confringe-
„ bant, corda hominum ab errore caducarum rerum
„ evellebant, mala eorum colloquia bonos mores cor-
„ rumpentia deſtruebant, malorum operum nequitias
„ diſperdebant, totius iniquitatis coadultam congeriem

Digitized by Google

diſſipabant, virtutes, Deo autore, cordibus eorum " inſerentes plantabant, & plantatas exemplo corro- " borantes ædificabant, & quamvis mortuorum cada- " verum reſuſcitatores non eſſent, quod majus eſt fa- " ciebant, id eſt, animas in peccatis mortuas vivifica- " bant, & vivificatas Deo veræ vitæ conjungebant. " Talia igitur ſigna facientes, quandoque ſimul, ali- " quando verò ſingulatim diverſas Provincias circui- " bant, quibus, machinante diabolo, tribulationes " non deerant.

Quæ autem & quanta vitia ubique, ſed præſertim in Britanniâ, Normanniâ, & aliis Gallicanis regionibus graſſarentur, quàm effrænata Clericorum licentia, paucis enarrat 1°. Baldricus, cap. 1. vitæ B. Roberti, num. 9. ubi ſic de eo loquitur. *Quatuor igitur annis apud* [a] *Epiſcopum ita demoratus Archipresbyter pacem inter diſcordes reformando, Eccleſias ab infami laicorum ancillatu liberando, inceſtas Sacerdotum & laicorum copulationes dirimendo, ſimoniam penitùs abhorrebat, omnibuſque vitiis viriliter reſiſtebat.*

2°. Goffridus Groſſus, cap. 25. vitæ B. Bernardi " Tironienſis. † Dum igitur Bernardus per maritimas " Normanniæ partes prædicans verbum Dei ſeminaret, " nulli parcebat, nullius amore, vel timore veritatem " reticebat. Porrò pro conſuetudine tunc temporis per " totam Normanniam hoc erat, ut Preſbyteri publicè " uxores ducerent, nuptias celebrarent, filios ac fi- " lias procrearent, quibus hæreditario jure poſt obitum " ſuum Eccleſias relinquerent, filias ſuas nuptui tra- " dentes, multoties, ſi alia deeſſet poſſeſſio, Eccle- " ſiam dabant in dotem. Dum autem uxores acciperent, " antequam ſibi eas conjungerent, in præſentiâ paren- " tum jurabant, quod nunquam eas dereſerent. Hoc " itaque facientes juramento ſe alligabant, quòd nun- "

a. Silveſtrum Redonenſem.

„ quàm fornicatores eſſe deſinerent, nunquam ad Chri-
„ ſti Corpus & Sanguinem, niſi rei & indigni accede-
„ rent, & indignè accedentes judicium ſibi manduca-
„ rent & biberent. Contrà hanc mortiferam conſuetu-
„ dinem ſervus Dei Bernardus in conventiculis Sacer-
„ dotum ſtudioſè diſputabat, & ut eam relinquerent,
„ magnoperè ſatagebat. Quoſdam itaque abſtraxit; ma-
„ ximam tamen partem illorum ab hujus mortis abſtra-
„ here nequivit baratro. Unde factum eſt, ut uxores
„ Preſbyterorum metuentes ab eis disjungi, cum ſuis
„ auxiliariis eum perimere quærerent: ipſi quoque Sa-
„ cerdotes inſidias pararent deterrendo eum, ut à præ-
„ dicatione revocarent. Quadam namque die dùm in
„ Conſtantiis, civitate maritimâ Normanniæ, populo
„ publicè prædicaret, quidam Archidiaconus uxorem
„ habens & filios, cum magno Preſbyterorum atque
„ Clericorum comitatu advenit, & cur ipſe qui Mona-
„ chus, ac mundo mortuus erat, viventibus prædica-
„ ret, requiſivit.

3°. Lambertus Schafnaburgenſis in chronico ad
„ annum, 1074. † Hildebrandus cum Epiſcopis Italiæ
„ conveniens decreverat, ut ſecundùm inſtituta anti-
„ quorum canonum Preſbyteri uxores non haberent:
„ habentes autem dimittant, aut deponantur: nec quiſ-
„ quam ad Sacerdotium admittatur, qui non in per-
„ petuum continentiam, vitamque cœlibem profiteatur.
„ Hoc decreto per totam Italiam promulgato, crebras
„ litteras ad Epiſcopos Galliarum tranſmittebat, præ-
„ cipiens ut ipſi quoque in ſuis Eccleſiis à contubernio
„ Sacerdotum omnes omninò fœminas perpetuo ana-
„ themate reſecarent. Adversùs hoc decretum vehemen-
„ ter infremuit tota factio Clericorum, clamitans il-
„ lum eſſe oblitum ſermonis Domini, quo ait. *Non*
„ *omnes capiunt hoc verbum. Qui poteſt capere, ca-*
„ *piat.* Et Apoſtolus. *Qui ſe non continet, nubat;*

Digitized by Google

meliùs eſt enim nubere, quàm uri. Et illum dum "
violentâ exactione homines Angelorum ritu vivere "
cogeret, fornicationi & immunditiæ fræna laxare. "
Quòd ſi pergeret ſententiam confirmare, malle ſe "
Sacerdotium, quàm conjugium deſerere, & tunc "
viſurum eum, cui homines ſorderent, unde guber- "
nandis per Eccleſiam Dei plebibus Angelos compa- "
raturus eſſet. "

Nihil igitur mirum, ſi apud omnes gratioſus eſſet Robertus, Sacerdotes verò ſine honore, ſine exiſtimatione, ſine autoritate, ut pote omnibus vitiis atque dedecore infames. Populi ad egregium hunc Chriſti preconem magnâ confluebant frequentiâ, quia in Paſtoribus ſuis non niſi effuſas in omni intemperantiâ libidines diſpiciebant. Ab eo pœnitentias ſibi imponi poſtulabant, quia Parochi ſui dignos pœnitentiæ fructus non noverant. Se ipſos ejus orationibus commendabant, quas apud Deum multùm valere non ignorabant. His autem omnibus ſtomachabantur, fremebant, indignabantur perditiſſimi Paſtores.

Indignatus eſt & ſecundæ ſcriptor impius Epiſtolæ; odium capitale in Robertum effudit, ipſum acriter accuſavit, ſed peſſimorum ritu accuſatorum, qui, quod vituperandum apparet, duntaxat attendunt, ad ea verò quæ factum vel excuſant, vel etiam commendant, penitùs cœcutiunt. *Porrò*, inquit, *in ſermonibus quibus vulgares turbas, & imperitos homines docere ſoles, non tantùm præſentium, ut decet, vitia reprehendis, ſed etiam dignitatum crimina, quod non decet, enumeras, carpis, laceras.* Et paulo poſt loquens de Parochis. *Omnes tuo ſe queruntur præjudicio condemnatos.* Fateor, hæretice! vel quiſquis es, ſcelerate! eum objurgatione dignum, qui Epiſcopos, Parochos, & Clericos in injuſtam

adducit vituperationem. An ille verò arguendus; qui Eccleſiaſticos omnium libidinum maculis notatiſſimos exagitat? hos autem ſolummodò reprehendit Robertus: cur itaque ipſum objurgaſſe Clericos memoras, & de profundis publiciſque libidinibus objurgaſſe ſiles?

Hujuſce fraudis Judæos habuiſti præceptores, qui apud Pilatum his verbis Chriſtum Dominum inſimulabant. Joan. 19. v. 7. *Nos legem habemus, & ſecundùm legem debet mori, quia filium Dei ſe fecit.* Certè homo purus, qui Deus haberi vellet, morti eſſet addicendus. At ex eo quòd homo innumerarum opifex virtutum, qui cœcis viſum, ſanitatem ægris, mortuis vitam reſtituit, Deus velit exiſtimari, non modò, non morte aut caſtigatione, ſed etiam fide digniſſimus eſt. Cur ergo nequiter cum Jeſum accuſatis, non omnia ejus opera profertis in medium ô Judæi! *Oportebat ſanè*, inquit ſanctus Cyrillus Alexand. lib. 12. in Joan. cap. 19. *quando Pilato dixiſtis, quia Filium Dei ſe ipſum fecit, tunc opera quoque ipſius in medium afferre. Oportebat quatriduò jam mortuum voce ſolâ in vitam reſtitutum narrare. Oportebat unigenitum filium viduæ non relinquere. Oportebat Synagogæ Principis puellam nequaquam omittere. Oportebat modum miraculornm etiam non præterire; in altero quidem, adoleſcens, tibi dico, ſurge: in altero verò, puella ſurge. Oportebat præterea docere, quia cæcis viſum, leproſis munditiem ſolo nutu donabat. Hæc cæteraque hujuſmodi, quibus verè Deus monſtrari poterat, malitioſè prætereuntes, cavillationibus ſolummodò utuntur.*

Iiſdem aut ſimilibus verbis te perſtringo, ſcelerate! decebat ſane, quando Robertum increpuiſſe Clericos conqueſtus es, addere (ex Goffrido Groſſo citato) *pro conſuetudine tunc temporis per totam Norman-*

niam hoc fuiſſe, ut Presbyteri publicè uxores ducerent, nuptias celebrarent, filios ac filias procrearent, quibus hæreditario jure poſt obitum ſuum Eccleſias relinquerent. Decebat addere (ex Orderico Vitali, lib. 5. Eccleſiaſt. Hiſtoriæ.) *In Neuſtriâ poſt adventum Normannorum, in tantùm fuiſſe diſſolutam caſtitatem Clericorum, ut non ſolùm Presbyteri, ſed etiam Præſules, liberè uterentur thoris concubinarum, & palam ſuperbirent multiplici propagine filiorum ac filiarum.* Decebat addere (ex B. Petro Damiani Epiſtolâ 16. ad Nicolaum Pontificem.) *Omni pudore poſtpoſito peſtem hanc in tantam prorupiſſe audaciam, ut per ora populi volitarent loca ſcortantium, nomina concubinarum, ſocerorum quoque vocabula & ſocruum, fratrum denique, & quorumlibet propinquorum.* Hæc, cæteraque hujuſmodi, propter quæ meritò in quoſdam Clericos invehebatur Robertus, prætermiſiſti ſilentio, & cavillationibus uſus es. Expende an tibi Robertove conſonet B. Petrus Damiani qui Epiſtolâ ſextâ libri primi ſic deflet. *In minoribus quidem Sacerdotibus luxuriæ inquinamenta perſequimur. In Epiſcopis autem, quod nimis abſurdum eſt, per ſilentii tolerantiam veneramur.*

SECTIO SECVNDA.

Beatus Robertus benè moratos Eccleſiaſticos ſemper plurimi fecit, veneratus eſt, beneficiis obſtrinxit.

TESTIS eſt Baldricus, cap. 1. num. 9. *Epiſcopo ſuo* (Redonenſi) *per omnia fideliter patrocinabatur: nam & ejus patrocinium Epiſcopus, li-*

Digitized by Google

cet patronus, non dedignabatur. Et cap. 2. num. 15. *In præſentiâ Pontificis Andegavenſis ventum eſt: & ex Epiſcopi conſilio & Clericorum permiſſione Robertus liberè diſceſſit.* Et cap. 3. num. 18. *Ipſe ſemper nudis pedibus incedebat, & tunicas, & ſaccum aſperiores induebat: quouſque conſilio Sacerdotum, corpore jam fatiſcente, calceatus jumentum aſcendit.* Et cap. 4. num. 21. *Erat autem acceptus Epiſcopis & Clericis.*

Teſtis eſt etiam Fr. Andreas, cap. 1. num. 4. *Cum quotidie ureretur febrium ardoribus, nonnullos Epiſcopos atque Abbates ad ſe mandavit, &, quòd conſilium quoddam petiturus eſſet, per nuntios notificavit.* Et cap. 3. num. 13. Ivonem Carnotenſem & Abbatem Bonævallenſem graviter diſſidentes reconciliavit. Et num. 15. & 16. Canonicos Carnotenſes cum ejuſdem urbis Comite in gratiam reſtituit. *Jam Canonicis ipſis ſola ſpes poſt Deum in noſtro Roberto reſtabat: unde factum eſt, ut miſſis legationibus ſuis, præſtantiam illius cum omni ſupplicatione poſtularent.* Et cap. 6. num. 29. *Eâdem verò tempeſtate Leodegarius, vir vitâ floridus & ætate, Bituricenſis diœceſis Archiepiſcopatum tenebat, quem, niſi fallor, inſeparabilis dilectio Magiſtro noſtro Roberto conglutinabat: tanto namque, ut reor, amore invicem conjungebantur, ut quod unus vellet, alius vix denegaret.*

Vides B. Robertum coluiſſe Archiepiſcopos, atque Epiſcopos, Abbates, & Sacerdotes; plurimi eos feciſſe, ab eis conſilium petiſſe, de eis optimè promeritum, & apud eoſdem gratioſiſſimum fuiſſe. Quod quidem ex relatis jam anteà chartis conſtat ac teſtimoniis, & ex aliis infrà referendis amplius conſtabit. Maximè autem ex chartâ Pictavis datâ in Synodo, anno ab Incarnatione Domini 1109. habitâ, in quâ

recenſetur Robertum præfato anno Epiſcopum Pictavienſem conveniſſe, ei omnia Monaſteria tam virorum, quàm ſanctimonialium, in ipſius diœceſi ſita humiliter commendaſſe; & tantæ dilectionis causâ Ordini ſuo exhibitæ, Eccleſiæ Pictavienſi 12. denarios ad Synodum Pentecoſtes in ſingulos annos ſpopondiſſe.

* Petro Dei gratiâ venerab. Pictav. Epiſcopo, venerabilibuſque Canonicis S. Pictavien. matricis Eccleſiæ, & eorum ſucceſſoribus, F. Robertus de Herbreſſello ſal. & debitam ſubjectionem. Eccleſiam ſanctimonialium, fratres dilectiſſimi, quam in honore ſanctæ Dei genitricis, ſemperque Virginis Mariæ, opitulante filii ipſius miſericordia, & tuâ, Petre pater reverende, cooperante ſolertiâ, in veſtrâ diœceſi, in loco, qui Fons-Euvraudi vocatur, fundavimus, veſtræ tuitionis patrocinio, poſt Domini, tradimus, & commendamus in perpetuum: UT ECCLESIÆ VESTRÆ TANQUAM CHARISSIMÆ MATRI OBEDIENS FILIA SPECIALITER PRIVILEGIO DILECTIONIS ADHÆREAT, & falce veſtræ defenſionis, hoſtilium impugnationum ſentibus de ipsâ reſecatis, in frugem ſanctæ Religionis fructificet novella plantatio: & ſanctimoniales, quas Dominus noſter Jeſus Chriſtus per me licet indignum Sacerdotem de luxu revocatas in loco ſupradicto plurimas, ad laudem & gloriam ſui nominis congregavit, oblitis curis ſæcularibus, ſub veſtræ protectionis clypeo, carnem doment, ſpiritum roborent, divino prorſùs, ut cœperunt, invigilantes ſervitio. Eidem defenſioni mancipamus omnia loca, quæ in veſtra diœceſi ſunt, tam virorum, quam ſanctimonialium ad Eccleſiam Fontis-Ebraldi pertinentium. Sanctimonialium ſcilicet quæ ſunt ad Podiam inter Calviniacum & Englam, & obedientiam de Jarundâ,

„ & illam de Gaina ; & ſi qua alia loca poſſident, ſive in
„ poſterùm juſtè & canonicè poſſidebunt. Hanc autem
„ traditionem ſeu commendationem veſtræ defenſioni
„ de Eccleſia Fontis-Ebraldi facimus, fratres dilectiſſi-
„ mi, communi conſilio ſororum ejuſdem Eccleſiæ, &
„ vos conſilio chariſſimi patris Petri venerab. Epiſcopi,
„ & omnium veſtrum eamdem recipitis. Pro tanto verò
„ defenſionis beneficio, ancillæ Chriſti quæ in Eccleſiâ
„ Fontis-Ebraldi ſunt, ſive fuerint, & pro vobis viven-
„ tibus quotidie orabunt, & quando aliquis veſtrum
„ obierit, tantum pro anima defuncti reddent Deo ſer-
„ vitium, quantum pro animâ ſanctimonialis, quæ de
„ congregatione illarum ex hoc ſeculo diſceſſerit. ET
„ IN MEMORIA TANTÆ DILECTIONIS SIT
„ IN PERPETUUM CENSIVA ECCLESIA FON-
„ TIS-EBRALDI PICTAVIENSI ECCLESIÆ
„ DE 12. DENARIIS AD SYNODUM PENTE-
„ COSTES. Fraternitatem veſtram Deus omnipotens
„ in Religione cuſtodiat fratres dilectiſſimi. Sigillum
„ Petri Epiſcopi, ſig. Aimerici Decani, ſig. Gaufridi
„ Cantoris, ſig. Vuillelmi Archidiac, ſig. Hervei Ar-
„ chidiac, ſig. Rainerii Capicerii, ſig. Vuillelmi magi-
„ ſtri Schol. ſig. omnium Canonicorum, ſig. Roberti
„ de Arbriſſello, ſig. Herſendis ſanctimon. ſig. Petro-
„ nillæ, ſig. omnium Sanctimonialium Fontis-Ebraudi.
„ Data Pictavi in Synodo, anno ab Incarnat. Domini
„ 1109. Indict. 2. Epacta 17. 13. cal. Julii. Secundo
„ Paſchali PP. Petro præſidente cathedræ Pictavorum,
„ Ludovico Rege Francorum, Vuillelmo Duce Aqui-
„ natorum. In Chriſto Jeſu fœliciter, amen.

Hanc eamdem venerationem B. Robertus Ande-
gavenſi Eccleſiæ exhibuerat, illique tres ſolidos ad
Synodum pollicitus fuerat, cum Abbatiam B. Mariæ
de Rotâ moderaretur. Ex cujus chartulario. † Anno
„ ſecundo dedicationis Eccleſiæ beati Nicolai, quam

Dominus

“ Dominus Papa Urbanus propriis manibus cum ma-
“ gnâ parte Romani Senatûs dedicavit ; Dominus Gau-
“ fredus , qui cognominatur de Meduana , à ſenioribus
“ loci noſtri, ſcilicet Domino Raginaldo Allobroge , &
“ à filiis ejus ; inſuper à Patribus noſtris , Roberto ſci-
“ licet de Arbriſſel, & à Quintino exoratus locum no-
“ ſtrum cum quadam parte perſonarum Eccleſiæ ſancti
“ Mauritii viſitare dignatus eſt , &c. Ad cujus adven-
“ tum omnes ferè populi adjacentium Parochiarum
“ cum Preſbyteris ſuis , tum propter ſpem veniæ , quam
“ ſibi ab Epiſcopo donari (ut fieri ſolet in dedicatione
“ Eccleſiæ) cupiebant : tum etiam causâ videndi no-
“ vitatem loci noſtri , & Fratrum noſtrorum Religio-
“ nem , cujus fama jam ad eos uſque & ad multos
“ pervenerat , velociter occurrerunt. Adfuerunt etiam
“ Barones viciniæ , Raginaldus Allobrox , Andreas de
“ Vitreio , Guillelmus de Guerchia , Gauterius Hay cum
“ vavaſſoribus ſuis , &c. Benedixit ergo Epiſcopus cœ-
“ meterium noſtrum , & conſecravit altare ad hono-
“ rem glorioſiſſimæ Virginis , nec non ſancti Joannis
“ Evangeliſtæ miniſtri ejus. Poſteà fecit nobis indictionem
“ præcipiens Preſbyteris totius Creoniæ ut locum noſtrum
“ annuatim viſitarent cum proceſſionibus ſuis. Et hæc
“ facta ſunt , vij. cal. Maii in Litania majore , Philippo
“ Rege Franciæ Imperium , Urbano Romanæ dignita-
“ tis cathedram obtinente , ordinante Domino Jeſu
“ Chriſto , cui eſt honor & gloria cum Patre & Spiritu
“ ſancto in ſæcula ſæculorum , amen. His ita expletis ,
“ DOMINUS ROBERTUS DE ARBRISSEL PER-
“ REXIT ANDEGAVUM unà cum ſociis ſuis , vide-
“ licet Quintino, atque Herveo de ſancta Trinitate ; ibi-
“ que in præſentiâ Domini Goffredi Epiſcopi , & to-
“ tius Capituli ſancti Mauritii , conſtitutum fuit ,
“ UT ECCLESIA NOSTRA SUÆ MATRI EC-

„CLESIÆ PRO SYNODO TRES SOLIDOS
„REDDERET, &c.

CAPUT QUARTUM.

Beatus Robertus in effuſionibus hominum ex oppidis, in concurſibus ex agris, &c. à culpâ eximitur.

QUARTUM increpationis caput eâdem ex Epiſtolâ erutum. *Videmus ad te turbas undique confluentes, tibi tuiſque honores, quos propriis debebant Sacerdotibus impendentes, quos tamen, ut manifeſtum eſt, non Religionis amor, ſed ea, quæ ſemper vulgo familiaris eſt, curioſitas, & novorum cupiditas ducit. Neque enim apparet vita eorum emendatior, ita fit ut aliena damna tuis ſerviant emolumentis.* Et ſuprà loquens de mulieribus. *Has peregrinationis tuæ loquuntur eſſe pediſſequas, & diſputanti tibi jugiter aſſidere.* Ubi B. Robertus vituperatur, quòd populorum concitet concurſum; quòd lucris commodiſque ſuis inſerviat; quod fœminas ſibi ſocias adjungat.

SECTIO PRIMA.

Beatus Robertus in concurſu populorum à culpâ eximitur.

CUM Abbatiâ de Rotâ exuiſſet ſe Robertus, ut prædicationi poſſet operam faciliùs impendere, finitimarum diœceſum caſtella & civitates percurrere

cœpit, atque innumeros utriuſque ſexûs convertit. De Chriſto Domino, Luc. 5. v. 1. legitur. *Turbas irruiſſe in eum, ut audirent verbum Dei. Irruiſſe*, non *veniſſe*; quia cum impetu & acceleratione pergebant & accedebant. De B. Roberto ſimilia ſcribit Baldricus cap. 3. num. 16. *Regiones & Provincias cœpit perambulare, & priùs paucis aſſociatus aſſeclis, per plateas & compita ſemen verbi Dei paſſim ſeminare. In modico ſexûs utriuſque plures adjuncti ſunt ei.* Et num. 19. *Multi confluebant homines cujuſlibet conditionis, conveniebant mulieres, Pauperes & Nobiles, Viduæ & Virgines, Senes & Adoleſcentes, Meretrices & maſculorum aſpernatrices.*

Nec de his aut aliis beati Roberti auditoribus ſcriptor impius objiciat. *Neque enim apparet vita eorum emendatior.* Nam de illis teſtatur contrà Baldricus cap. 2. num. 12. UNDE FACTUM EST, UT EO AUDITO, MULTI CORDA SUA PERCUTERENT, *ſuiſque pravis converſationibus abrenuntiarent. Alii domum ſuam revertebantur prædicationibus ejus meliorati: alii ſecum demorari cupiebant.* Quod quidem impudens Roſcelino mendacium exprobrat: è concionibus enim beati Roberti diſcedebant auditores, ſicut è Calvariæ monte Chriſti Crucifixi ſpectatores; de quibus ſanctus Lucas, cap. 23. v. 48. *Omnis turba eorum qui ſimul aderant ad ſpectaculum iſtud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora ſua revertebantur.* Idem Baldricus, cap. 3. num. 19. ait. *Ipſius delibutum ſermonibus intantùm peccatis abrenuntiantium crevit examen, ut numerus penè fuerit innumerus.* Baldrico Font-Ebraldenſium laudes proſequenti ſuffragantur octo ſummi Pontifices, pag. 18. & ſequent. contracti Clypei. Conſonant Hildebertus Turonenſis, Leodegarius Bi-

turicenſis, &c. Archiepiſcopi, pag. 26. & ſequent. Aſtipulantur Burchardus Meldenſis, Gerardus Engoliſmenſis, B. Petrus Pictavienſis, Raymundus Aginnenſis, Rogerius Convenenſis, &c. Epiſcopi, pag. 35. & ſequent. Succinunt Goffridus Abbas Vindocinenſis, Juditha Abbatiſſa beati Lazari de Bethania, Petrus Sulienſis Abbas, Sugerius ſancti Dionyſii Abbas, &c. pag. 46. & ſequent. Favent Ludovicus ſextus Francorum, Henricus primus Anglorum, Aldephonſus ſeptimus Hiſpanorum, Reges; Alanus Britannorum Comes, Fulco junior Andegavorum Comes, & poſtmodùm Rex Jeruſalem, &c. pag. 54. & ſequent. Conveniunt innumeri Principes, Barones, & utriuſque ſexûs Nobiles, qui primos beati Roberti alumnos vocant chartâ 42. *Sanctam congregationem tàm virorum quàm mulierum.* Chartâ 107. *Sacrum Conventum Fontis-Ebraldi.* Chartâ 109. *Sanctum collegium fœminarum de Fonte-Ebraudi.* Chartâ 199. *Sanctum Conventum tam mulierum, quàm virorum.* Chartâ 523. *Sanctum Conventum de Fonte-Ebraudi.* Chartâ 672. *Piiſſimam Fontis-Ebraudi congregationem.* Chartâ 719. *Sanctam congregationem.* Chartâ 726. *Sanctas mulieres.* Chartâ 743. *Sanctum conventum fratrum ac mulierum*, &c. pag. 69. & ſequent. Conſentiunt denique Vuillelmus Malmeſburienſis, Guillelmus Neuburgenſis, Goffridus Groſſus, Goffridus Abbas Altæ-tumbæ, & alii Scriptores & Chronographi, pag. 81. & ſequent.

SECTIO SECUNDA.

Beatus Robertus de ſtudio lucri purgatur multiplici teſtimonio. 1°. Baldrici Dolenſis Archiepiſcopi. 2°. Plurium Epiſcoporum, qui eum ſuas in diœceſes ad nova conſtruenda Monaſteria evocarunt. 3°. Nonnullorum Abbatum, qui de prædiis quibusdam cum ipſo diſceptarunt.

SUBSECTIO PRIMA.

Beatus Robertus de ſtudio lucri purgatur multiplici teſtimonio Baldrici Dolenſis Archiepiſcopi.

STUDIO lucri nunquam flagravit Robertus, nec lucri cupidus ſtudioſuſque unquam habitus eſt: imò paupertatem perpetuò coluit, & à ſuis alumnis ſanctiſſimè coli præcepit. *Turpis lucri à ſe cupiditatem extricabat.* Inquit Baldricus, cap. 1. num. 9. Et cap. 3. num. 16. *Ipſe adhuc non habebat, ubi caput reclinaret, niſi quem neceſſitas coëgiſſet. Poſtquam autem à Canonicis diſceſſerat, noluerat adhuc locum quemlibet eligere: ut liber & ſine baculo, & ſine perâ poſſet procedere.* Et num. 18. *Ipſe ſemper nudis pedibus incedebat: & tunicas & ſaccum aſperiores induebat.* Et num. 19. aſſerit numerum alumnorum ejus penè fuiſſe innumerum. *Quos alio nolebat cenſeri vocabulo niſi pauperes Chriſti.*

Et cap. 4. num. 23. idem Baldricus. *Nonne Robertus evidenter illius imitator claruit, qui dixit.* [a]. Spiritus Domini ſuper me, Evangelizare pauperibus miſit me. *Iſte re verâ pauperibus Evangelizavit, pauperes vocavit, pauperes collegit.* Et num. 24. *Robertus iſte,*

a Luc. 4. v. 18.

iſte, inquam, Robertus, omnimodè pro Chriſto pauperatus, exul à patriâ, & à propriis cognationibus, turbis, quibus prædicaverat, circumſeptus, ne illis deeſſe videretur, in Font-Ebraldenſi ſolitudine, ſine cujuſlibet reditûs pecuniâ, multas pauperibus manſiones ædificavit propter Chriſtum, &c. Vnde ſuſtentari potuiſſent præparavit: quatenùs in tam brevi ſpatio magnis Regibus hoc opus eſſet difficillimum. Expende. Victus tot hominum potentiſſimis Regibus fuiſſet difficillimus: quid igitur emolumenti ex eorum collectione capere, venari, quærere potuit Robertus? nihil certè emolumenti, ſed multùm damni potiùs, inopiæ, & paupertatis. Unde moriens vir Dei de Fonte-Ebraldi dicebat. *Ibi ſunt Presbyteri mei atque Clerici: ibi etiam ſunt ſanctæ Virgines, Viduæ, & Continentes die ac nocte in Dei laudibus perſeverantes: ibi ſunt qui paupertates & labores pro Chriſto mecum diù ſuſtinuerunt.* Quid inſuper referam de propagato Font-Ebraldenſi Ordine? ex variis conſtat chartulariis, Robertum nullum condidiſſe Monaſterium, niſi rogatu & impulſu diœceſanorum Epiſcoporum.

Digitized by Google

SUBSECTIO SECUNDA.

Beatus Robertus de ſtudio lucri purgatur multiplici teſtimonio plurium Epiſcoporum, qui eum in diœceſes ſuas ad nova conſtruenda Monaſteria evocarunt.

ARTICULUS PRIMUS.

Beatus Robertus à Beato Petro Pictavienſi Epiſcopo advocatur.

NON ſat habuit Sanctiſſimus Præſul rogatu, autoritate, & inductu ſuo ad condendum Font-Ebraldenſe cœnobium contuliſſe, (ut in tertia Diſſertatione exponetur) plura etiam ejuſdem Ordinis Monaſteria in Pontificia ſua ditione inſtituenda curavit.

I. *Monaſterium de Podiâ.*

Primum eſt Monaſterium de Podiâ, Gallicè *Lapuye.* Ex Font-Ebraldenſi chartulario, chartâ 672. * Ex nonnullis multarum ſcripturarum teſtimoniis habemus, " ut quantùm ad Cœleſtem Jeruſalem ex hac valle miſeriæ præmittemus, tantùm in ſæculorum ſæcula inveniemus. Dicente Apoſtolo reddet Dominus unicuique juxta opera ſua. Quapropter in nomine Domini pro noſtra, noſtrorumque ſalute, nos Petronilla de Muntoranto, Paganus de Vallibus, Teobaudus Foreſcherius, Belotus de Clariſvallibus, Joannes de Tuſcha DONAMUS ET IN PERPETUUM CONCEDIMUS DOMNO ROBERTO HOMINI RE-

„ LIGIOSISSIMO ET PIISSIMÆ FONTIS-
„ EVRAUDI MONACHARUM CONGREGATIONI
„ terram ſcilicet de Podia, à via Charbonaria uſque ad
„ boſcum Roberti cum prato de Fonte de Voigis; cum
„ decimis, & lucrariis, & omnibus redditionibus ſine
„ conſuetudine poſſidendam, &c. Nos utique Gaufri-
„ dus de Chalvigniaco, & filii mei, & Longus frater
„ Epiſcopi, quidquid in terra, & in paſnagio habeba-
„ mus, ſimiliter donamus, & eis concedimus. Iſti au-
„ tem affuerunt qui hæc audierunt & viderunt PETRUS
„ PICTAVIENSIS EPISCOPUS, Magiſter Ro-
„ bertus, Longus de Turri, Aamerus de Gaſtina, Be-
„ nedictus de Bernezaico, &c.

2. *Monaſterium de Gainâ.*

Secundum eſt Monaſterium de Vaginâ, ſive de Gainâ, gallicè *Gayne.* Ex prædicto chartulario,
„ chartâ 891. † Ego Raginaudus Craſſus notum facio
„ tam præſentibus, quàm futuris fidelibus, QUOD
„ DOMNO ROBERTO, ET HUMILI MONA-
„ CHARUM GREGI glorioſæ intactæ Virginis Fon-
„ tis-Evraudi dono & concedo terram meam quæ eſt
„ in Gainâ habendam, ſolutam, & quietam omni tem-
„ pore poſſidendam, ſicut mihi & Proavis meis, quietè
„ in multis temporibus tenere videtur, ut mihi noxam
„ peccaminum miſericorditer indulgeat Dominus, &c.
„ Ad teſtimonium teſtes iſtos legitimos ſubnotare la-
„ boro, Cantorem Goffridum Pictavienſem, Guillel-
„ mum de Miribello, Thomam de Marcaio. Hoc do-
„ num factum eſt in præſentia PETRI PICTAVIEN-
„ SIS EPISCOPI, & Clericorum ſuorum Rainerii
„ Capicerii, Petri de ſancto Saturnino.

Digitized by Google

3. *Monaſterium de Villa-ſalem.*

Tertium eſt Monaſterium de Villa-ſalem, Gallicè, *de Villeſalem*, à duobus Anachoretis Font-Ebraldenſibus Monialibus propter inſignem ipſarum virtutem conceſſum. Ex tabulario Fontis-Ebraldi. † « Vuillelmus & Audebertus de Tremoliâ, qui priùs me- « dietatem maſi Monachis Fontis-Gombaudi dederant, « poſt Eremitis quibuſdam Gauffrido videlicet Gaſtinelli, « & Bertramno, in loco qui dicitur Villaſalem Religioſè viventibus dederunt. Hi autem prædicti Eccleſiæ » « Fratres formam converſationis Religioſarum fœmi- « narum Fontis-Ebraldi audientes, decreverunt ut locum « ſuum & omnia in eodem loco adquiſita prædictis « Sanctimonialibus darent & facerent, &c. *Donum* « *hoc beatus Petrus Pictavienſis Epiſcopus*, tanquam Capitalis & ſuperior Dominus, *confirmavit*. Ex archivo Prioratûs de Villa-ſalem. † Petrus Dei gratiâ Pictavienſis Epiſcopus, omnibus hanc chartulam « inſpecturis ſalutem in Domino ſempiternam, &c. « Nos autem prædictus Epiſcopus tanquam Capitalis « & Superior Dominus ad ſupplicationem & peti- « tionem prædicti Audeberti militis, Domini to- « tius caſtellaniæ de Tremoliâ & pertinentiarum ejuſ- « dem, omnia & ſingula ſupradicta pro nobis & ſuc- « ceſſoribus noſtris confirmavimus, & confirmamus, &c. « PROMITTENTES ETIAM SPIRITU DEI DU- « CTI, ET CHARITATIS AFFECTU, QUAM « ERGA ORDINEM FONTIS-EVRAUDI « HABEMUS, tanquam capitalis & ſuperior Dominus « pro nobis, ſucceſſoribuſque noſtris omnia & ſingula « ſupradicta prædictis Religioſis garire, & defendere « penitùs contrà omnes, &c. Hoc actum fuit in Eccleſia beati Petri Pictavenſis.

4. *Monaſterium in Landâ de Bello-quercu.*

Quartum eſt Monaſterium in Landâ de Bello-quercu. Gallicè *La Lande en Beau-cheſne.* Ex Fontis-Ebraldi chartulario, chartâ 205. † Ego Petrus de „ Gaſnachia CONSILIO SIMUL ET AMONITIONE DOMINI „ MEI PETRI PICTAVORUM EPISCOPI, diſpoſui Eccle- „ ſiam fundare in loco qui dicitur Landa de Bello- „ quercu, eamque de rebus meis dotare. Secutus ita- „ que conſilium mei Epiſcopi, ut devotionis meæ af- „ fectus devotiorem haberet effectum, illum prædi- „ ctum locum dono & concedo Deo, & Beatæ Ma- „ riæ, & Sanctimonialibus Fontis-Ebraudi, In manu „ DOMNI ROBERTI DE ARBRISSELLO, CUIUS PRÆDICA- „ TIONE SIMUL ET EXEMPLO BONÆ VITÆ Eccleſia illa „ fundata, ſub ſanctæ converſationis habitu ſoli Deo „ militat. Huic ſiquidem Eccleſiæ in Landa de Bello- „ quercu fundatæ in honore Beatæ Mariæ ſemper Vir- „ ginis, & ſancti Joannis Evangeliſtæ dono & in per- „ petuum habendum concedo terram & nemus de „ Landâ, & decimam propriæ annonæ de cellario meo, „ & decimam furnorum de Beluehetio, & decimam „ molendinorum nigri Monaſterii, quæ Chalo avuncu- „ lus meus fecit, cloſum vinearum matris meæ, & „ pelles damorum, &c.

5. *Monaſterium de Tucione.*

Quintum eſt Monaſterium de Tucione, gallicè *de Tuçon.* Ex præfato chartulario, chartâ 576. * „ Ego Petrus Dei gratiâ Pictavorum Epiſcopus univer- „ ſis Catholicis notum fieri volo, quàm diligenti ra- „ tione ad honorem Dei, & ſanctæ religionis obſer- „ vationem, locus qui à vulgo Tucio nominatur, noſtro

"& Canonicorum noſtræ ſedis communi aſſenſu at-
"que conſilio fuerit ædificatus. Locus namque Tucio-
"nenſis, olim vaſtâ ſilvarum ſolitudine deſolatus, ſpi-
"narum & veprium denſitate confertus, diù inhabita-
"bilis extitit. In quo tamen vetuſtiſſima cujuſdam Ec-
"cleſiæ veſtigia apparebant. CUM ITAQUE VIR QUIDAM
"MAGNÆ RELIGIONIS, ET BONÆ OPINIONIS, NOMINE
"ROBERTUS DE ARBRUISSELLO loca ſolitaria & divinis
"cultibus idonea vigilanti curâ diligenter inquireret, in
"quibus ſanctimoniales fœminas, quas ad ſerviendum
"Deo viventi congregaverat, collocare valeret; qui-
"dam vir illuſtris qui Fulcaudus Frenicardi vocabatur,
"ad eum acceſſit, ipſumque obnixis precibus exora-
"vit, ut in ſupradicto loco Eccleſiam ædificare di-
"gnaretur. Erat enim locus ille ſuæ poſſeſſionis, ejuſ-
"que ſubditus poteſtati. Verumtamen vir Robertus
"prædictus ſtatim precibus Fulcaudi non adquievit:
"ſed nec hunc, neque alium in noſtro Epiſcopatu lo-
"cum, niſi noſtro & Clericorum noſtrorum conſilio
"ſe ædificaturum, ſive ſuſcepturum aſſeruit. Prædi-
"ctus igitur Fulcaudus ardenti deſiderio locum Tucio-
"nenſem Domno Roberto, & Sanctimonialibus fœ-
"minis, quæ ſub ejus diſciplinâ in loco qui dicitur
"Fons-Ebraudi Deo devotiſſimè ſerviebant, dare cu-
"piens, ad nos acceſſit, rogans & obſecrans quate-
"nùs ſæpedictum locum prænominato viro, domno
"ſcilicet Roberto concederemus, & ei, ut ibidem Ec-
"cleſiam ædificaret, perſuaderemus. His ita tranſactis,
"cum præfatus ille Robertus noſtris perſuaſionibus
"adquieſcens in præſcripto loco Eccleſiam & officinas
"ædificare juſſiſſet, Nantolienſes Monachi, ſolâ, ut
"rei exitus probavit, invidiâ excitati, locum illum
"domno Roberto calumniati ſunt, dicentes, quia ve-
"tus Eccleſia, cujus veſtigia, ut ſupradictum eſt, ibi
"apparebant, de jure Nantolienſis Monaſterii anti-

„ quitùs fuerat. Inquiſitis igitur ſuper hac re diligenter
„ Monachorum rationibus, cum aliquam poſſeſſio-
„ nem ſive inveſtituram de hac Eccleſia ſe habuiſſe no-
„ bis nullatenùs poſſent oſtendere, nec aliqua inde mu-
„ nimenta haberent, Domnum Robertum ut ab incœ-
„ pto non deſiſteret, monuimus. Ipſe vero noſtris no-
„ lens adquieſcere monitis, obſtinato animo nobis
„ reſpondit, ſe nihil ampliùs ibi facturum, donec
„ Monachorum calumnia pacificè ſedaretur. Nos ergo
„ unà cum Clericis noſtris, & Fulcaudo Frenicardi
„ ad Nantolienſe Monaſterium acceſſimus, & de præ-
„ dictâ calumniâ, cum Abbate & Monachis ejuſdem
„ loci in communi eorum Capitulo concordiam feci-
„ mus. Fulcaudus etenim Frenicardi dedit pro hac con-
„ cordiâ Nantolienſibus Monachis quatuor annonæ
„ ſextarios in decimâ ſancti Medardi de Vertolio, qui
„ eis annis ſingulis redderentur. Abbas itaque Nanto-
„ lienſis nomine Gauterius, in Capitulo Nantolienſis
„ Eccleſiæ, nobis præſentibus, conſilio & aſſenſu Mo-
„ nachorum ſuorum, calumniam illam penitùs abſolvit
„ atque dimiſit; & Eccleſiam Tucionenſis loci, ip-
„ ſumque locum ex integro domno Roberto & prædi-
„ ctis Sanctimonialibus, earumque ſucceſſoribus, quietè
„ ac perpetuò poſſidenda conceſſit. His itaque, Deo
„ auctore, pacificatis, Tucionenſem locum cum ipsâ
„ veteri Eccleſiâ, cujus ibidem, ut ſæpe dictum eſt,
„ veſtigia eminebant, Deo & ſanctæ Mariæ de Fonte-
„ Ebraudi, & Domno Roberto, & ſæpe dictis Sancti-
„ monialibus conſilio Clericorum noſtrorum dedimus;
„ & ut quietè & inconcuſsè perpetuò poſſiderent,
„ conceſſimus. Conceſſimus quoque pari tenore, ut
„ omnia quæ in noſtro Epiſcopatu collatione fidelium
„ legitimè adquirere poſſent, eis firma & illibata per-
„ petualiter permanerent, &c. Huic autem præſcriptæ
„ concordiæ atque donationi affuerunt Vuillelmus Ra-

dulphi Pictavenſis Eccleſiæ Scholaſticus, Petrus de " ſancto Saturnino ejuſdem Eccleſiæ Canonicus, Ade- " marus Nantolienſis Eccleſiæ Prior, Petrus Fulcherii, " Umbertus de Vertolio, Fulcaudus Frenicardi, Ade- " marus frater ejus, Aimericus de Pindrac, & multi " alii tam Clerici, quam Laici. Facta eſt hæc concordia " atque conceſſio in Capitulo Nantolienſi, anno ab In- " carnatione Domini 1112. indictione 5. "

Sedatâ controverſiâ, dum Tucionenſis conventus ædificaretur, ſcientiam ſalutis dabat vicinis populis Robertus, tantamque ipſis movebat admirationem, ut illum *præconem Regium*, *inſignemque Angelum Eccleſiæ*, ejus verò alumnas *beatas mulieres* appellarent. Ex chartulario prædicti Prioratûs.

† Neceſſe videtur catholicorum fidelium dona compendiosè perſtringere, quæ pro mercedis æternæ multiplici fœnore calicem aquæ frigidæ remuneranti Deo, & Beatæ Mariæ, quæ vulgariter nuncupatur Fontis-Ebraldi, & DOMNO ROBERTO DE ARBRISSELLO, PRÆCONI REGIO, ET INSIGNI ECCLESIÆ ANGELO ad Dei ancillarum apud Tucinium præbuêre, &c. Ego Petrus de Breun pro ſupernæ ſalutis commodo, concedo molendinum appellatum de oratorio omnipotenti Deo, DOMNO QUE ROBERTO DE ARBRISSELLO, ET BEATIS MULIERIBUS, quæ Deo, ejuſque inviolatæ genitrici fideliter ancillantur Fontis-Ebraldi loco, &c. Petrus de Carro præbuit Deo, & ſanctæ Mariæ Fontis-Ebraldi, ET INSIGNI PRÆDICATORI ROBERTO, ad filiarum ſuarum utilitatem, quas prædicando genuerat, de Mareſio ſecùs molendinum viginti quartarios, &c. "

Ex hac autem Tucionenſis donatione loci liquet, quo ſpiritu ferretur Robertus, & quâ ratione ſe haberet in proferendo ſuo ordine, exquiſito ſcilicet priùs conſilio & beneplacito diœceſanorum Antiſtitum. Aſſentitur Fr. Andreas, cap. 3. num. 12. *Illa verò ha-*

bitacula, in quibus vir memorabilis oves dominicas cum conſilio adjacentium Pontificum includebat, more boni Paſtoris frequenter viſitabat: ut, ſi aliquando diabolicâ ſuaſione, aliqua vitiorum fomenta pullularent, ea pro poſſe ſuo radicitùs extirparet. Pondera autem. *Oves Dominicas more boni Paſtoris frequenter viſitabat.* Hoc eodem munere functus eſt, teſte Baldrico, cap. 4. num. 25. exactâ jam ætate, & impendente interitu. *Annis revolutis & annis, quibuſdam indiciis ſenſit beatus Robertus finem ſuum appropinquare, quia membris fatiſcentibus, corporis cœpit deſtitui viribus. Viſitatum & ſalutatum ire fratres diſpoſuit, & ſorores: & ibat. Confortabat omnes in Domino, & ſingulos affabatur ore benevolo. Commendabat tranſitum ſuum condiſcipulis: & hortabatur, ne unquam tepeſcerent à bonis inſtitutis.* Quæ quidem Baldrici & Andreæ verba fœdiſſimi mendacii Roſcelinum, aut alium hujuſce farinæ hæreticum redarguunt Roberto improperantem. *Quorumdam ultra curam non geris, quos nullâ coerces regulæ diſciplinâ, ſed ſuo quemque permittis arbitrio.*

ARTICULUS SECUNDUS.

Beatus Robertus à Leodegario Bituricenſi Archiepiſcopo advocatur.

SECUNDUS à quo accerſitus eſt Robertus, Bituricenſis eſt Archiepiſcopus, nomine Leodegarius, qui Urſanenſe Cœnobium exædificavit: in quo ſanctus Inſtitutor laboribus confectus, & in omni ſanctitatis genere perfectè verſatus, ſpiritum Deo reddidit. Indubitatum eſt. 1°. Ex verbis ipſius, morientis,

Digitized by Google

& præfatum Leodegarium alloquentis. [a]. † O chariſ- “
ſime Pater : tu es meus Archiepiſcopus , meus Pri- “
mas, ac Patriarcha. Tu ſcis quomodò nunc uſque “
te ſemper amavi , & quomodo tibi obediens fui. “
Scis etiam , quod propter dulcem amorem tuum in “
has partes primitùs veni. ROGASTI ETENIM ME , UT “
ALIQUAS DE BONIS FOEMINIS MEIS TRADEREM TIBI, ET “
TRADIDI. Tuo monitu atque rogatu in hanc provin- “
ciam eas tranſmiſi. Non habebam , ſicut ſcis , hîc “
domos , non ullas poſſeſſiones , non agros. Præparaſti “
eis pro animæ tuæ , tuorumque ſalute hunc locum : “
ædificaſti eis , inſpirante Deo , hoc habitaculum , quò “
poſſent facere die ac nocte Dei ſervitium : nullas hûc “
adduxêre poſſeſſiones , non aurum , non argentum, “
non denique ſupellectilia : acquiſiſti eis terras , victum “
atque veſtitum , cæteraque neceſſaria , & facto , & “
verbo. Gaviſus es multùm de earum adventu , & “
nunc uſque multis modis honoraſti , & benè ſervaſti. “
Ecce itaque , volente Deo , ego iter omnis carnis “
aggredior , & jam tempus reſolutionis meæ inſtat , “
nec enim melior ſum , quàm patres noſtri. Quapro- “
pter donec ſupereſt in me halitus , quamdiù poſſum “
loqui , commendo filias meas , & omnia quæ illa- “
rum ſunt , tuæ dilectioni : ut tu , qui eas huc venire “
feciſti , piè cuſtodias , earumque curam ſollicitus “
amodò habeas. “

Indubitatum eſt. 2°. Ex tabulario Prioratûs de Urſano. * *Leodegarius Bituricenſis Archiepiſcopus , &c. Nos ad ædificationem ſanctæ Dei Eccleſiæ , & Religioſorum virorum , pro ut poſſumus , laborantes, domnumque Robertum de Herbruſſel in Epiſcopatu noſtro collocare deſiderantes, in loco, qui vulgò Urſa dicitur , omni calumniâ , tam Clericorum quam Monachorum ſopitâ collocavimus , &c.*

Clerici calumniam inferentes erant Canonici Podii-

a. Fr. Andreas cap. 6. num. 31.

Ferrandi (Gallicè *Puy-Ferrand.*) ut clarum eſt ex verbis immediatè ſubjunctis. *Querimoniam etenim quam Canonici Podii-Ferrandi in Eccleſia de Maiſons, in cujus Parochia prædictus locus ſitus eſt, amore Dei & noſtro, videntibus Radulpho Dolenſi, & Adelardo finierunt.*

Monachi verò, Religioſi Dolenſes (Gallicè, *les Moynes de Bourdieux*) ut compertum eſt ex eodem tabulario. * *Ego Fr. Ioannes Dolenſis Abbas, & Conventus fratrum mihi à Domino commiſſorum, pro charitate, quam debemus, donamus ancillis Dei, quæ Deo ſerviunt apud Fontem-Ebraldi ſub magiſterio Domni Roberti Herbruſſelli, querelam, quam habebamus in Eccleſiâ de Manſionibus, & terram planam, & boſcum de loco, qui vocatur Urſan. Actum hoc Dolis in Capitulo, præſente dom. Leodegario Archiepiſcopo, & eodem domno Roberto, & Clericis ſuis, &c.*

Teſtes (*Radulphus ſcilicet Dolenſis, & Adelardus de Caſtro-Melano*) erant Bituricenſes Barones. Adelardus iſte villam, *Urſan*, B. Roberto, & Ordini Font Ebraldenſi donaverat. Ex chartulario Fontis-Ebraldi, chartâ 274. † Admonet nos ſcriptura „ dicens, date eleemoſynam, & omnia munda ſunt „ vobis. Hujus itaque mundationis ego Adelardus de „ Caſtro-Melano indigens, dono, & concedo, Deo, & „ beatæ Mariæ, & Sanctimonialibus Fontis-Ebraudi, „ pro ſalute animæ meæ, & parentum meorum in ma„ nu Domni Roberti de Herbuſſello ſilvam quæ dici„ tur Groſboc, & Villam Urſam, & terram planam „ cum molendino, & ſtagno in alodio, & illud quod „ concedere poſſum de Eccleſia de Domibus, & quic„ quid Caſati mei dederint de caſamentis ſuis, &c. „ cum conceſſione Maalinæ uxoris meæ, & filiarum „ mearum. Hujus itaque meæ eleemoſynæ donum firmavi

mavi & poſui in manu Domni Leodegarii Bituricenſium Archiepiſcopi, laudante & concedente Radulpho Dolenſi. Inde ſunt teſtes Vuillelmus Archidiaconus nepos Archiepiſcopi, & Hubertus Burexellus Archipreſbyter, & Audebertus de Borno, & Joannes de Domibus, & multi alii. Hoc factum fuit regnante Ludovico Galliarum Rege. "

ARTICVLVS TERTIVS.

Beatus Robertus ab Amelio Toloſano Epiſcopo advocatur.

TERTIUS, à quo advocatus eſt Robertus; Toloſanus eſt Epiſcopus, Amelius ſcilicet, qui famâ ſanctitatis ipſius permotus, iterùm & tertiò rogavit eum, ut aliquod Monaſterium in diœceſi ſua ædificaret. Cœnobium itaque, quod Ezpezes, (Gallicè *l'Eſpinace*) nuncupatur, Robertus extruxit. † " Univerſis præſentibus & futuris, ex aquâ & Spiritu ſancto in Chriſto renatis notum fieri volumus, quod EGO AMELIUS TOLOSANÆ URBIS HUMILIS EPISCOPUS, DOMNUM ROBERTUM DE ARBROSSELLO SÆPE ROGAVIMUS, ut loca ad Religionis obſervantiam in noſtro Epiſcopatu ædificare dignaretur. Ipſe ergo noſtris impulſus precibus à Comitiſſa Pictavenſi, nomine Philippâ (*quæ cum concionantem in Toloſana urbe Robertum audiſſet, ei ſe dedidit, & Fontem-Ebraldi ſecuta eſt, ubi vota religioſa tandem nuncupavit. Ex necrologio Prioratûs de Fontanis.* 4. cal. Decem. *Philippa Monacha, Pictavienſis Comitiſſa.*) nemus illud quod Eſpezes vulgò nominatur, cum totâ terra in quâ nemus ipſum conſiſtit, & quaſdam garrigas eidem nemori adjacentes, ac- "

„ quiſivit. Dedit etiam eidem Roberto Pontius Ray-
„ mundi, & Pontius Berengarii, & Calvetus Rodberti,
„ & quidam alii milites quædam alia nemora, & alias
„ terras, ut ibidem ſimiliter oratorium vel Eccleſiam,
„ vel quodlibet ædificari aliud faceret. Nos vero con-
„ ſilio & aſſenſu Clericorum ſancti Stephani, & ſancti
„ Saturnini univerſa hæc dona conceſſimus Deo, ſan-
„ ctæ Mariæ de Fonte-Ebraudi, & Domno Roberto,
„ & ſucceſſoribus ejus, & omnibus prædicta loca ſub
„ obedientiâ ſanctæ Mariæ de Fonte-Ebraudi habitan-
„ tibus, ut ea quietè & liberè in perpetuum ſine omni
„ calumniâ poſſideant. Conceſſimus etiam prædictis
„ locis omnimodâ libertate, ut fratres, qui ibidem
„ Deo ſervire devoverint, quietem & pacem habere
„ poſſint, &c. Ut autem hæc noſtra inſtitutio firmior
„ & ſtabilior habeatur, eam noſtro ſigillo munivimus,
„ & propriæ manûs ſubſcriptione firmavimus. Sig.
„ Amelii Toloſani Epiſcopi, & hoc affirmavit Præpo-
„ ſitus ſancti Stephani. Sig. Præpoſiti ſancti Saturnini,
„ &c. Facta eſt firmatio iſta in Capitulo ſancti Ste-
„ phani die Sabbathi 12. Martii, luna 6ª. anno ab In-
„ carnatione Domini 1114. anno Pontificatûs Domni
„ PP. Paſchalis xv. indictione 7. regnante Lodoico
Rege. *Ex tabulario prædicti Prioratûs.*

ARTICULUS QUARTUS.

B. Robertus à Guillelmo Petro-Goricenſi Epiſcopo invitatur.

QUARTUS à quo invitatus eſt Robertus, Petro-Goricenſis eſt Epiſcopus, nomine Guillelmus. Is, cum fervidæ & eloquentiſſimæ ſancti inſtitutoris

Digitized by Google

concioni in Capitulo Divi Frontonis, anno 1114. interfuiſſet, ab eo efflagitavit, ut in aliquo ſuæ diœceſis loco, religioſam Font-Ebraldenſis Ordinis domum inſtitueret. Precibus ejus indulſit Robertus, & agrum à plebe atque à culturâ hominum penè jam deſertum elegit. Ex tabulario Abbatiæ de Cadunio. *
Dum venerabilis Robertus de Arbriſſello Petragori- “
cas partes adveniſſet, & Capitulum ſancti Frontonis “
intraſſet, ibique Canonicos ejuſdem ſanctâ prædica- “
tione reficeret, rogaverunt eum iidem Canonici, ut “
ad ſuſtentationem Sanctimonialium in Eccleſia Fontis- “
Ebraldi omnipotenti Domino ſervientium, unum de “
locis S. Frontonis dignaretur accipere, & ad victum “
ſanctarum fœminarum ædificare : QUI PRECIBUS “
EORUM QUANDOQUE DEVICTUS, unum de minoribus “
locis eorum, & eo tempore jam penè deſertum ac- “
cepit : & ad honorem S. Frontonis, & ad recognitio- “
nem hujus noſtræ donationis unam libram incenſi, “
quæ in ejus feſtivitate reddatur, ibi impoſuit. Itaque “
ego Guillelmus Petro-Goricenſis Eccleſiæ Epiſcopus, “
& Canonicorum S. Frontonis Abbas, & iidem Ca- “
nonici, hunc locum qui dicitur in ſylva Cadunii, “
Salvitas, Domno Roberto & Sanctimonialibus Fon- “
tis-Ebraldi dedimus manſurum, & omnia quæ ibi “
poſſidebamus : & noſtris propriis manibus ſubſcripſi- “
mus, & ad confirmationem hujus donationis hanc “
chartulam ſigillavimus. Teſtibus Heliâ Præcentore “
de Caſſey, Bernardo Sacriſtâ de Pairac, Itherio Ar- “
chidiacono de Salis, & aliis quam pluribus. “

Huic cœnobio Guillelmus de Birontio, Algerius de Moiſidano, & Arnaldus de Monte-incenſo multa prædia erogarunt : quæ omnia Aldebertus Comes, Petro-Goricenſis rata habuit, & autoritate ſuâ roboravit. Ex prædicto tabulario. †
Ego Guillelmus de “
Birontio, & Alpaïdis uxor mea, filiis noſtris conce- “

,, dentibus Guillelmo & Bertrando, pro noſtri noſtro-
,, rumque ſalute immobiliter concedimus Deo, & ſan-
,, ctæ Mariæ de Cadunio (*de Cadoüin*) Domnoque Ro-
,, berto de Arbriſſello, & ſervis Dei medietatem unius
,, manſi in ſylva, quæ Cadunienſis appellatur, & lo-
,, cum qui vallis Seguini nuncupatur. Concedimus etiam
,, quidquid de prædicta ſylva ejuſdem loci ædificiis vel
,, uſui fuerit neceſſarium. Damus præterea locum qui
,, Baſſa-calderia vocatur, &c. Eadem dona conceſſit
,, Aldertus Comes Petra-Gor. Conceſſit ſimiliter eodem
,, die, eiſdem teſtibus, Guillelmo Petro-Goricenſi
,, Epiſcopo, Gerardo de Salis, Mainardo de Baimaco,
,, &c. quidquid in valle Seguini, Algerius de Moiſi-
,, dano, & Arnaldus de Monte-incenſo, eorumque
,, uxores dederant. Poſteà firmaverunt apud Moiſida-
,, num coram Domno Roberto, &c.

Hæc loca B. Gerardo de Salis ſocio ſuo conceſſit Robertus, anno 1115. Monaſterium autem in Cadunienſi pago ſitum ad Abbatiæ Ciſtercienſis Ordinis titulum poſteà evectum eſt. Ex eodem tabulario. † Ego
,, Robertus de Arbriſſello concedo, & irrevocabiliter
,, tribuo, nullo pacto, niſi ſolo charitativæ germani-
,, tatis amore retento, Domno Gerardo de Salis, ve-
,, nerabili Magiſtro, ſocio meo, inter neceſſarios ami-
,, ciſſimo, ejuſque filiis, imò conſervis tam extempo-
,, raneis, quam ſucceſſuris, utrumque locum in ſylva
,, Cadunienſi ſitum, videlicet tam eum de Seguini valle,
,, quem ipſe Gerardus cum ſuis commilitonibus tan-
,, quam ſibi ſub mei perſona acquiſierat, acquiſitum
,, ædificaverat, quàm illum qui Salvitas dicitur: & uni-
,, verſaliter quicquid mihi vel alii vice mei præfatum
,, infrà nemus conceſſum eſt, atque ut ibidem ſub do-
,, minicæ clientelæ normâ Deo militent, eorum arbi-
,, trio & affectui relinquo. Hanc autem conceſſionem
,, authenticam, & ſolemniter actam coram generali

Digitized by Google

Sanctimonialium capitulo, collaudante, & concedente earum fideliſſimâ matre Petronillâ, imò Dei ancillarum ancillâ, inconvulſam & inviolabilem perſiſtere decerno, omniſque calumniæ querelam, ſive controverſiam hinc funditùs excludo, hinc radicitùs evello, & penitùs interdico. Eſt prædictorum conceſſio facta locorum apud Fontem-Ebraldi, B. Benedicti die feſtivâ 5. idus Julii, anno ab Incarnatione Domini 1115. Præſulatûs Domini Papæ Paſchalis, anno 16. indictione 8. in tempore viduatæ Pictavienſis Eccleſiæ, viam ingreſſo univerſæ carnis Petro antiſtite, Ludovico Francigenarum Rege, Guillelmo Aquitanorum Duce. Talia teſtantur, qui taliter intitulantur Fulco Andegavenſium Conſul, Paganus de Claris-vallibus, Aimericus Vice-Comes Toarcenſis, & alii.

Expende autem. *Robertus precibus Canonicorum ſancti Frontonis quandoque devictus, unum de minoribus locis eorum, & penè jam deſertum accepit.* Et. *Ego Robertus de Arbriſſello concedo & irrevocabiliter tribuo nullo pacto, niſi ſolo charitativæ germanitatis amore retento, dom. Gerardo de Salis, &c.* Quomodo itaque lucri cupidus, ſtudioſuſque eſſe, vel haberi potuiſſet? nonne potius in eorum numero reponendus, dequibus Matthæi 5. v. 3. dicitur. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt Regnum Cælorum.* Nonne etiam de illo intelligendum occurrit illud Pſalmiſtæ. Pſal. 76. v. 19. *Vox tonitrui tui in rotâ.* Beatus Petrus, Pictavienſis Epiſcopus, chartâ Pictavi datâ, anno 1106. ait. *Robertus* (Abbas quondam de Rotâ) *tonitruo ſanctæ exhortationis, plures tam viros, quam mulieres à ſeculari luxu revocavit.* Sed quid mirum? *Vox tonitrui tui in rotâ.* Verbum Dei effunditur, verbum Dei auditur, ubi? *in rotâ.* Nimirùm in iis, qui veluti rota parùm terræ pertingunt, non in iis, qui terrenis

bonis immerſi toti ſunt. Ait ibi Arnobius. *Rota licet in terra voluatur, tamen dum ſteterit, magna pars ejus aliena eſt à terrâ, & parva pars ejus in terra conſiſtit. Vox ergo Dei in rota eſt, qui parvis rebus terrenis contentus, totum, quod ſursùm eſt, quærit.; quò ſurſum eſt, pergit, ubi Chriſtus eſt.* Talis procul dubio fuit Robertus, paucis rebus terrenis contentus, imò nihil terrenum appetiit; Abbatiâ de Rotâ, ut prædicationi poſſet operam faciliùs navare, ſe abrupit; & omnia quæ ipſi poſteà donata ſunt, atque ſeipſum, ſuoſque ancillis Chriſti dimiſit.[a] *Tunc ait ad eos, ſcitis dilectiſſimi mei, quòd, quidquid in mundo ædificavi, ad opus Sanctimonialium noſtrarum feci: eiſque poteſtatem omnem facultatum mearum præbui: & quod his majus eſt, & me, & meos Diſcipulos, pro animarum noſtrarum ſalute, earum ſervitio ſubmiſi.*

SUBSECTIO TERTIA.

Beatus Robertus de ſtudio lucri purgatur multiplici teſtimonio nonnullorum Abbatum, qui de quibuſdam prædiis cum ipſo diſceptarunt.

ARTICULUS PRIMUS.

Controverſia cum Sibilla ſanctæ Crucis Pictavienſis Abbatiſſa ſedatur.

„ EX Font-Ebraldenſi tabulario. † Ego Sibilla ſan-
„ ctæ Crucis Abbatiſſa, volo tam futurorum quàm
„ præſentium memoriæ tradere placitum, quod cum
„ Domno Roberto, & ſororibus de Fonte-Ebraudi per

a. Andreas, cap. 1. num. 5.

Digitized by Google

manum & petitionem Herſendis, quæ eſt Prioriſſa illius loci, & religioſa eſt mulier, firmavimus. In quadam itaque terræ noſtræ ſilvulâ, quam vulgari nomine Born appellant, & in Parochiâ de Cuſeio eſſe dignoſcitur, concedimus eis omnium redditutum medietatem unam, & aliam medietatem Eccleſiæ ſanctæ Crucis, cujus juris eſt, integrè, & per omnia retinemus, &c. Hoc donum & conventionem, de hujus ſylvæ particulâ, propter divinæ pietatis timorem, ET DOMNI ROBERTI ECCLESIÆ NOSTRÆ AMICI DILECTIONEM FECIMUS, &c. ſig. Sibillæ Abbatiſſæ, &c. ſig. Roberti de Arbriſſel, &c. Datum in capitulo ſanctæ Crucis menſe Octobri, Philippo Rege regnante, Petro Pictav. Pontifice, Guillelmo Aquitan. Duce, anno milleſimo centeſimo quarto ab Incarnatione Domini.

ARTICULUS SECUNDUS.

Controverſia cum Guillelmo ſancti Florentii Salmurienſis Abbate componitur.

EX cœnobii Tucionenſis archivo habetur, Robertum de Arbriſſello locum Cantamerlenſem à Fulcaudo Frenicardi collatum recuſaſſe, noluiſſeque illum accipere, niſi conſentiente, & concedente Guillelmo ſancti Florentii Abbate, qui eumdem hunc locum ſibi vindicabat. * Ego Guillelmus ſancti Florentii Salmurienſis Eccleſiæ Abbas, fraternæ Congregationis conſilio & aſſenſu, concedo Deo, & B. Mariæ Fontis-Ebraldi, domnoque Roberto de Arbriſſello, atque Sanctimonialibus ejus tutelæ commiſſis, quidquid in loco Cantamerlenſi nobis quidam Paterfamilias pro animæ ſuæ ſalute tribuerat. Quo-

„ niam verò Fulcaudus Frenicardi hanc donationem „ omninò reſcindens, nullius momenti eſſe dicebat, eò „ quod feodatus ſeu cazatus ſuus ipſo inconſulto præ- „ ſumptivè & illicitè tribuerat, idcirco nihil commodi „ nobis contigerat, nec ipſo invito nihil contingere „ poterat: necnon idem Fulcaudus Domno Roberto „ ad Dei ancillarum opus, hoc donum dare voluerat. „ SED VIR DEI NON QUÆRENS QUÆ SUA FORENT, „ vel quæ proximum ſcandalizarent, quidquid litigii „ vel controverſiæ poterat eſſe ſeminarium, quaſi ſini- „ niſtrum & peſtiferum recenſebat. Ad ultimum itaque „ nobis & Fulcaldo Frenicardi, ejuſque Germano Ade- „ maro concorditer placuit, ut hujuſmodi donum ab „ ipſis tali conditione adipiſceremur, quatenùs & nos „ ipſi Domno Roberto de Arbriſſello ad Dei ancilla- „ rum opus, quatuor fabarum ſextariis pro anniverſario „ cenſu utilitatis noſtræ retentis, idem donum inviola- „ biliter impertiremur, &c.

Gen. 13. v. 7. dicitur. *Facta eſt rixa inter Paſtores gregum Abraham & Loth.* Mirum eſt, Paſtores utriuſque hujus familiæ, maximis vinculis & propinquitatis & affinitatis conjunctæ, in rixam incidiſſe & contentionem. Quid verò egit Abraham? *Ne quæſo,* ait Fratri ſuo Loth, *ſit jurgium inter me, & te, & inter Paſtores meos & Paſtores tuos: fratres enim ſumus. Recede obſecro à me.* Quamvis Abbatiæ ſancti Florentii & Fontis-Ebraldi eſſent vicinitate & familiaritate devinctæ, prima tamen ſecundæ litem extrà dubium intuliſſet, ſi locus Cantamerlenſis beato Roberto oblatus, fuiſſet ab ipſo acceptus. Quid ergo Robertus? *ne quæſo* (inquit Guillelmo Abbati) *ſit jurgium inter me & te; & inter alumnos meos & alumnos tuos: fratres enim ſumus. Non rogo te ut recedas à me: ſed ego diſcedo à te, & locum mihi delatum tibi libenter concedo.* Quibus verbis ita per-

motus eſt Guillelmus, ut de beato Roberto dixerit. *Sed vir Dei non quærens quæ ſua forent, vel quæ proximum ſcandalizarent, quidquid litigii & controverſiæ poterat eſſe ſeminarium, quaſi ſiniſtrum & peſtiferum recenſebat.*

ARTICVLVS TERTIVS.

Controverſia cum Ioanne Dolenſi Abbate tollitur.

EX Archivo Urſanenſis Prioratûs. * Fr. Joannes Dolenſis Eccleſiæ ſervus, &c. Agneti venerab. Sanctimoniali, & ancillis Dei cum ea in loco de Urſan Deo famulantibus ſalut. Domini noſtri Jeſu-Chriſti, pacis & concordiæ amatoris inſtinctu, ſimul etiam Domini noſtri Leodegarii Bituricenſis Archiepiſcopi, IMO PIÆ ET VENERABILIS RECORDATIONIS DOM. ROBERTI MAGISTRI, loci veſtri Fundatoris exhortationibus & precibus flexi, deponimus querelam, quam in furno ſancti Avilſi, & terrâ de Leſcherolâ, & de Parciaco habebamus, & concedimus ea vobis, quæ vir nobilis Adelardus condonavit, &c.

ARTICVLVS QVARTVS.

Controverſia cum Petro Sulienſi Abbate dirimitur.

FONT-EBRALDENSEM Abbatiam in jus vocarant de Boſco *de Bort* Sulienſes Monachi. Viſum tamen Robertum ità reveriti ſunt, ut bona prætenſa deponere, quam lite & judicio perſequi ma-

luerint : ne , inquiebant , Spiritum ſanctum in tanto viro , tantoque doctore irritare viderentur & contriſtare: ita habetur in chartâ Sulici datâ. † Reverendiſſimis Patribus, ſuiſque Dominis, Girardo Epiſcopo Engoliſmenſi, vices Apoſtol. in his partibus fideliter & prudentiſſimè diſpenſanti ; & Radulpho SS. Turonenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo, & Rever. & Deo Amabili Petro Pictavien. Epiſcopo, Petrus Abbas Sulienſis, & totus ejus conventus humilis ; ET ROBERTUS DE ARBRISSEL CLARISSIMUS VIR, ET DEO AMANTISSIMUS, totaque ſua humilis & devota Congregatio debitæ obedientiæ reverentiam, & ſanctarum munus orationum. Quoniam ſanctis deſideriis, juſtiſque petitionibus aſſenſum præbere, Chriſtianæ perfectionis eſſe manifeſtum eſt, veſtræ ſublimitatis affuſi genibus, ſinceritatis veſtræ clementiam humiliter ac devotiſſimè deprecamur, ut quæ infrâ de pace & concordiâ, & dilectione, quæ facta eſt inter nos, ſcilicet Monaſterium S. Sepulchri Sulienſis, & S. Eccleſiam Fontis-Ebraldi, ſuper quâdam querelâ ſcripto annotatâ videritis, divinæ autoritatis pondere confirmetis. Inter cætera itaque quæ Galterius Princeps Chriſtianiſſimus Fundator Eccleſiæ Sulienſis S. Sepulchri, eidem ſoluta, ac libera, ac jure perpetuo poſſidenda de propriis poſſeſſionibus ob remedium ſuæ animæ dederit, hoc quoque in chartâ, quam, ipſe in perſonâ propriâ ab Archiepiſcopo Turonenſi impetravit fieri, ac ſigillo proprio ſigillari, donaſſe repertus eſt, videlicet Boſcum de Bort ad extirpandum, ita ut Monachi inde habeant medietatem. Iſtud idem in chartâ prædicta habetur. Quod quia obſcurè poſitum erat, diſſenſionem & diſcordiam inter nos, quos magis injuriam pati, quam diſceptare vel litigare oportuerat, generabat. Nam nos Sulienſes Monachi prædictorum verborum occaſione, quid-

quid in Boſco de Bort, (eſt enim ibi locus, qui dicitur Fons-Evvraudus) ædificatum vel conſtructum fuerat, ſive in Eccleſiis, ſive in officinis, vel in aliis domibus, in omnibus denique extirpationibus nemoris, quas in terram arabilem diſcipuli prædicti Roberti redegerant, clamabamus. Quapropter nobis in unum convenientibus, ſcilicet Abbate Sulienſi cum ſuis Monachis, & venerab. Roberto de Arbriſſello cum quibuſdam de diſcipulis ſuis, ac de ancillis Dei apud Sulicum, præſente ipſo clariſſimo Principe Galterio de Monte-Sorello, quem Fundatorem Abbatiæ ſuperiùs diximus Sulienſis, Nos Sulienses tanti viri, tantique Doctoris honore debito præſentiam venerantes, ejuſque ſanctis admonitionibus deferentes, maluimus aliquid de proprio relaxare, quam ſanctum Spiritum in ipſo, ſuaque glorioſiſſimâ congregatione irritare. Talique conventione, tali pacto, talique tenore prædictæ querelæ concordia, ſupradicto adnitente Galterio de Monte-Sorello inter nos facta eſt, ut nos Sulienſes Monachi nihil prorsùs de omnibus, quæ ad Dom. Robertum, & ad ſuos pertinent, ulteriùs clamemus, de ipſis videlicet quæ habent in Boſco de Bort uſque ad viam Candatenſem, &c. Hæc autem charta facta eſt, anno ab Incarnatione Domini 1114. 10. cal. Octob. Regnante Ludovico Rege Francorum, & Fulcone Andegav. Comite. Ego Girardus Engoliſmenſis Epiſcopus, & S. R. Eccleſiæ Legatus hanc concordiam Apoſtolicæ ſedis autoritate confirmavi, ſigillo meo muniri feci, & propriâ manu ſubſcripſi, ſig. Radulphi Turonenſis Archiepiſcopi, ſig. Petri Pictav. Pontificis.

ARTICULUS QUINTUS.

Reflexio.

PERPENDE lector, quantum honorem adverſarii Font-Ebraldenſis Ordinis Roberto detulerint. Sibilla ſanctæ Crucis Abbatiſſa. *Hoc donum & conventionem de hujus ſylvæ particulâ, propter divinæ pietatis timorem, & Domini Roberti Eccleſiæ noſtræ amici dilectionem fecimus.* Joannes Dolenſis Abbas. *Piæ & venerabilis recordationis Dom. Roberti magiſtri, loci veſtri fundatoris, exhortationibus & precibus flexi deponimus querelam.*

Perpende etiam quàm magnificè ſenſerint de eodem ſancto Fundatore, & toto Font-Ebraldenſi Ordine. Guillelmus ſancti Florentii Salmurienſis Abbas. *Sed vir Dei non quærens quæ ſua forent, vel quæ proximum ſcandalizarent, quidquid litigii vel controverſiæ poterat eſſe ſeminarium, quaſi ſiniſtrum & peſtiferum recenſebat.* Petrus Sulienſis Abbas. *Nos Sulienſes tanti viri tantique Doctoris honore debito præſentiam venerantes, ejuſque ſanctis admonitionibus deferentes, maluimus aliquid de proprio relaxare, quam ſanctum Spiritum in ipſo, ſuâque glorioſiſſimâ congregatione irritare.* Legerant nimirùm illud quòd de juſtis effatus eſt Deus. *Inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos.* [a]. Quonam autem modo fieri queat, ut Deus immenſus, cui Cœlum ſedes eſt, & terra ſcabellum pedum ejus; quem cœlum, & terra, & omnia ſpatia, creata, creabilia, & imaginaria (in quibus tamen non eſt actu, ſed ineffabili potentiâ) capere nequeunt, in homine inhabitare poſſit & inambulare? ita quidem

a. Cor. 6. v. 16.

effatus eſt Deus ad juſti gloriam & honorem, ut tali circumlocutione, quanti juſtum æſtimet, & quantâ curâ rationibus ejus conſulat, declararet. Quàm egregiè moneat ſanctus Ambroſius octon. 8. in Pſal. 118. *Quid magnificentius hoſpite iſto cœleſti? Quid beatius tali poſſeſſione divinâ? alii queruntur de ſui ruris anguſtiis: in te Deo eſt ampla poſſeſſio, in quo deambulare ſe dicit, hoc eſt laxa ſpatia habitationis inveniens, qui terram includit manu. Sic enim ſcriptum eſt: quis menſus eſt manu aquam, & cœlum palmo, & univerſam terram clauſâ manu? cui mundus auguſtus eſt, tu ei ampla es domus.*

SECTIO TERTIA.

B. Robertus de comitatu mulierum purgatur.

IMMÒ purgatione non indiget, fecit enim hoc autoritate & exemplo. 1°. Chriſti Domini, Luc. 8. v. 1. *Et factum eſt deinceps, & ipſe iter faciebat per civitates & caſtella prædicans & Evangelizans verbum Dei; & duodecim cum illo, & mulieres aliquæ, quæ erant curatæ à ſpiritibus malignis & infirmitatibus, Maria quæ vocatur Magdalene, de quâ ſeptem dæmonia exierant, Ioanna uxor Chuſæ procuratoris Herodis, & Suſanna, & aliæ multæ quæ miniſtrabant ei de facultatibus ſuis.* 2°. Sancti Pauli, & aliorum Apoſtolorum. 1. Cor. 9. v. 5. *Numquid non habemus poteſtatem mulierem ſororem circumducendi, ſicut & cæteri Apoſtoli, & fratres Domini, & Cephas?*

Moneo nihilominùs lectorem, beatum Robertum nunquam conſueviſſe mulieres circumducere. Fœminas

Digitized by Google

quidem facundis ſuis ſermonibus converſas Fontem-Ebraldi aliquando deduxit : ſed nullas, nequidem Herſendim & Petronillam, antequam iſtam creaſſet Abbatiſſam, itinerum ſuorum ſibi ſocias aſciviſſe legitur, niſi bis aut ter, & quidem ſedandæ causâ ortæ de quibuſdam Font-Ebraldenſibus prædiis controverſiæ. Quin etiam diſcedens Fonte-Ebraldi, *ipſas conſtituerat operibus aſſiſtrices, & aliis ſororibus præfecerat*, teſte Baldrico; cap. 4. num. 21. † Operariis „ autem aſſiſtere nec volebat, nec poterat, quia na- „ tionibus multis prædicare habebat. Conſtituit igitur „ ex ſororibus unam reſponſis, & operibus aſſiſtricem, „ & magiſtram, Herſendim nomine, quæ ſpretâ ſuâ, „ quâ prælucebat nobilitate, choris fœminarum adhæ- „ ſerat, imò prior converſa fuerat. Vivebat autem Her- „ ſendis & magnæ religionis, & magni pariter conſilii. „ Huic autem Herſendi conjunxit & Petronillam procu- „ rationis manſionariæ gnaram, quam ipſe Robertus „ poſteà elegit in Abbatiſſam, nam Herſendis jam ad „ ſuperos receſſerat. Has itaque duas fœminas, quo- „ niam cognoverat prudentes & induſtrias, & magnæ „ cautelæ perſonas, aliis, ut dictum eſt, præfecerat „ ſororibus. Dominus verò Robertus nunquam vel à „ prædicatione, vel ab oratione quibuſlibet occaſiun- „ culis avulſus eſt, ſed ſtrenuitati totus deditus finiti- „ mas & longinquas circumcurſabat regiones.

Poſtquam verò ad Abbatialem dignitatem Petronillam evexiſſet, illam & Font-Ebraldenſem Prioriſſam nonnullorum ſuorum itinerum comites adhibuit : neque propterea tamen in offenſionem aut Epiſcoporum, aut Abbatum, aut plebis incurrit. Audire præſtat fratrem Andream cap. 3. num. 12. † Ædificato „ verò loco infrà paucos annos, de quo nobis eſt ſer- „ mo (*Altæ ſcilicet Bruertiæ Monaſterio*) miſit ante „ ſe ad eumdem locum per Petronillam Abbatiſſam

noſtram, quam ipſe elegerat, aliquas ex ſororibus "
noſtris, propter quas maximè locus ædificatus fuerat: "
quas idem vir vitæ venerabilis uſque ſtudioſè ſine "
morâ ſubſequutus eſt. *Et num.* 13. Præmiſit ergo "
ante ſe per Angardim religioſam Monacham, quæ "
Fontis-Ebraldi tunc Prioriſſa erat, Sanctimoniales "
ſuas ad locum deſtinatum: ipſe veró conſociato ſibi "
Bernardo (*Tironienſi*) Abbate Religioſo, atque "
Petronillâ Abbatiſsâ ſuâ, propter prædictæ diſcordiæ "
reconciliationem feſtinat, accurrit Carnotum, *Bernardum Bonavallenſem Abbatem cum Ivone Epiſcopo in gratiam reducturus. Et cap.* 4. *num.* 22. Ipſe "
veró populorum precibus acquieſcens, eorumque deſiderabilem famem, cooperante Deo, ſatiare deſiderans, cum jam cœptum iter ageret conſociatâ ſibi "
Petronillâ, aliiſque nonnullis, quadam die apud Dolenſem Abbatiam hoſpitalitatis gratiâ pervenit. Quem "
Monachi ejuſdem cœnobii læti ſuſcipientes, hoſpitalitatis jura ei honorificè præbuerunt, ut eorum animas prædicationis ſanctæ pabulo reficere dignaretur, "
humillimè poſtulaverunt. *Et cap.* 5. *num.* 24. His "
itaque peractis Petronillam, atque Angardim Fontis-Ebraldi procuratrices, quæ cum eo erant, viſitatum "
fratres atque ſorores ire commonuit. Atque ipſe cum "
Andreâ capellano ſuo ad populos, qui ejus prædicationem, ſicut ſuperiùs diximus, avidè deſiderabant, "
& deſiderantes multis precibus poſtulabant, perrexit.] "
An Ivo Carnotenſis Epiſcopus? an Bernardus Bonavallenſis Abbas? an alter Bernardus primus Abbas Tironienſis? an Dolenſes Monachi? an populi *prædicationis ejus non mediocriter*, ut ait ibidem Andreas, *famelici*, hujuſmodi comitatu offenſi ſunt?

Demùm quantùm à proximi offenſione abhorreret Robertus, liquet ex eo quòd defuncto Sylveſtro Redonenſi Epiſcopo, Andegavum ſe receperit, ne Ca-

Digitized by Google

nonicis, quibus inviſus erat, aut quibuſlibet aliis, vel minimum præberet ſcandalum. *Elapſo bis biennio*, inquit Baldricus, cap. 1. num. 10. *Reverendus Pontifex gravi corporis tactus moleſtiâ, hominem exuit, & , ut creditur, ad aſtra receſſit: & Robertus inter Orphanos Orphanus ſolus remanſit: ſolus inquam, quia probis ejus actibus ipſi fratres invidebant, quorum invidentia jam ei odium pepererat: decrevit igitur ſecum invidiæ cedere, & juxta magiſtri ſui vocem de civitate in civitatem fugere:* NOLEBAT ETENIM CUILIBET ESSE IN SCANDALUM, *quod non ignorabat grande & grave piaculum. Venit igitur Andegavum, &c.*

CAPUT QUINTUM.

Beatus Robertus in abjecto habitu, in barbâ prolixâ, in tonſurâ Monachali à culpa eximitur.

QUINTUM inſectationis caput eâdem ex epiſtola collectum. *Cæterùm de pannoſi habitûs inſolentiâ plurimi te redarguendum putant: quoniam nec canonicæ profeſſioni, ſub quâ militare cœpiſti, nec ordini Sacerdotali in quem promotus es, convenire videtur.* Et infrà. *Quò igitur tibi abjecto habitu gloriari, opertum ad carnem cilicio, cum attrito pertuſoque birro, barbâ prolixâ, capillis ad frontem circumciſis, nudipedem per vulgus incedere, & novum quaſi ſpectaculum præbere videntibus, ut ad ornatum lunatici ſolam jam tibi clavam deeſſe loquantur.* Hîc jam lupus non in ovina pelle, ſed in ſua propria conſpiciendum ſe exhibet: hîc procacis hujus

hujus autor Epiſtolæ non Epiſcopum agit, ſed Hæreticum. Soli enim hæretici habitum & tonſuram Monachalem carpunt, damnant, deſpiciunt: at ſancti viri illum induunt; Patres verò & Concilia eumdem prædicant & præcipiunt.

SECTIO PRIMA.

Sancti viri habitum pannoſum, aſperum, Monachalem induunt: Hæretici verò carpunt eum, damnant, & deſpiciunt.

SANCTI VIRI.

1° ELIAS pilis induebatur, zonâ pelliceâ præcinctus, ut patet ex reſponſo Regi Ochoziæ inquirenti dato. *Qui dixit eis, cujus figuræ & habitûs vir ille qui occurrit vobis, & locutus eſt verba hæc? At illi dixerunt: vir piloſus & zonâ pelliceâ accinctus renibus. Qui ait, Elias Thesbites eſt.* 4. Regum 1. v. 7.

2° Sancti veteris Teſtamenti, de quibus D. Paulus ad Hebræos 11. v. 37. *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti: quibus dignus non erat mundus.*

HÆRETICI.

1° MAGDEBURGENSES Centur. 4. cap. 6. ad dictum Dionyſii Areopagitæ de habitu & tonſurâ Monachali. *Hæc*, inquiunt, *ſuperſtitioſa ſunt, non conſentanea ſacris Scripturis, nec obſervationi prioris Eccleſiæ.*

2° Vvolphangus Muſculus in locis communibus, cap. de votis. *Reſpondeant Monachi, quo loco cucullos ſuos habeant: & quomodo ab hypocriſi & ſuperſtitione tuean-*

tur, quòd ſingulari & colore & formâ à conſueto ſeſe & populari amictu disjunxerunt. Sunt qui prætexant neſcio quæ humilitatis & innocentiæ indicia.

3°. Calvinus lib. 4. inſtitut. cap. 19. Sect. 25. *Radunt enim eos in vertice, ut corona regale decus ſignificet : quia Reges debent eſſe clerici, ut ſe & alios regant. Aſſignant deinde & alias rationes. Summitas capitis denudatur, ut eorum mens ad Dominum libera demonſtretur, quæ revelatâ facie, Dei gloriam contempletur : vel ut vitia oris, oculorum doceantur præcidenda. Vel raſura capitis eſt temporalium depoſitio : circumferentia verò coronæ reliquiæ ſunt bonorum quæ ad ſuſtentationem retinentur. Omnia in figuris, quia ſcilicet velum templi nondùm ſciſſum eſt. Itaque perſuaſi ſe præclarè defunctos eſſe ſuis partibus, quòd talia per coronam ſuam figuraverint, nihil eorum reipsâ præſtant. Quouſque nos talibus fucis & præſtigiis ludent ?*

3°. Sanctus Joannes Baptiſta, de quo Matth. 3. v. 4. *Ipſe autem Ioannes habebat veſtimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos ſuos : eſca autem ejus erat locuſtæ & mel ſylveſtre.* Et cap. 11. v. 7. *Quid exiſtis in deſertum videre ? hominem mollibus veſtitum ? ecce qui mollibus veſtiuntur, in domibus regum ſunt.* Unde ſanctus Bernardus in ſermone de ſancto Joanne Baptiſta. *Venit*, inquit, *Ioannes non manducans, nec bibens, planè nec veſtiens : ſicut enim non eſt locuſta cibus, niſi aliquorum fortè irrationabilium animalium, ſic nec pilus cameli hominum eſt indumentum.*

4°. Quidam Hæretici docuerunt, non licere nu-

dis

4°. Sanctus Abbas Pachomius. *Inſuper ingens*

quoque

quoque ille Pachomius, inquit Nicephorus lib. 9. hiſtoriæ Eccleſiaſt. cap. 14. *qui dux & autor vitæ Tabenneſiotarum fuiſſe dicitur.... Si quidem indumentum illis erat melota, ſeu pellis ovilla, symbolum atque monumentum, ut opinor, generoſi & fortis illius Eliæ Thesbytæ.* Et infrà de Ægypriis Monachis. *Non enim illi temerè à communi habitu veſtitum ſuum mutavêre.*

dis pedibus incedere: & ſuum hunc errorem iſtis fulciebāt teſtimoniis. Exod. 12. v. 11. *Calceamenta habebitis in pedibus veſtris.* Epheſ. 6. v. 14. *State ergo ſuccincti lumbos veſtros in veritate, & induti loricam juſtitiæ, & calceati pedes in præparationem Evangelii.* Quibus tamen eo, quod intendunt, nihil planè minùs probatur.

Ad primum enim reſpondeo, Deum ideo juſſiſſe Hebræos calceari, vel quia iter longum & laboriosum ingreſſuri erant; calceis autem viator indiget: vel quia ex Ægyptiaca captivitate jam jam erant eripiendi. Calceati enim pedes ſymbolum ſunt libertatis: ſicut è contrariò nudi pedes ſignum ſunt ſervitutis. Hebræis itaque ſervitute relaxandis dicitur. *Calceamenta habebitis in pedibus veſtris.* Id eſt, calceati incedite more ingenuorum & liberorum; non autem excalceati more mancipiorum.

Ad ſecundum, dico calceos, quos Apoſtolus jubet induere, non eſſe propriè dictos calceos, ex mortuorum animalium coriis confectos; ſed alacrem promptitudinem, & promptam animi alacritatem, cùm ad viam Evangelii pacis percurrendam, tùm ad eam barbaris gentibus annuntiandam. Ita ſancti Patres & Interpretes.

Addit tropologicè ex ſancto Gregorio D. Anſelmus, calceos hîc ſignificare patrum exempla defunctorum. [a]. *Calceamenta*, inquit, *fiunt ex coriis mor-*

a. In Epiſt. ad Epheſ.

Digitized by Google

tuorum animalium, & ſignificant exempla patrum jam defunctorum, quibus ab omni terrena læſione defenduntur pedes noſtræ mentis, id eſt affectiones, quibus tanquam pedibus ad faciendum aliquid promovemur. Læditur enim pes Prædicatoris à terra, ſi affectus ejus terrenum commodum ex prædicatione appetit: id eſt, ſi propter terrenum commodum, non propter regnum cœlorum prædicat Evangelium. Et ideo prædictis calceamentis induantur pedes noſtri, id eſt, exemplis patrum muniantur; ut, ſicut patres ſtudio ſupernæ intentionis, non appetitu terrenæ commoditatis prædicaverunt Evangelium, ſic & nos faciamus.

5°. Hortenſius Landus libro de perſecutione barbar. multa contrà tonſuram Monachorum deblaterat, his nixus ſacræ Scripturæ teſtimoniis. Levit. 19. *Dominus ait. Non attondebitis comam in rotundum.* Et cap. 21. de Sacerdotibus. *Non radent caput, nec barbam.* Ex quibus tamen nihil evincitur. Nam ut rectè notavit Heſychius in primum Levitici locum; tondere comam in rotundum, non eſt comam radere, ſed ornare. Deinde dato quod ſit comam radere, non ideo tonſura vel raſura erit abſolutè vetita. Actuum enim 21. Paulo Apo-

5°. Sancti B. Roberti coætanei, vel ſuppares, ut ex pluribus Hiſtoricis conſtat, imprimis ex Goffrido Groſſo, qui loquens de ſancto Bernardo Tironienſi, cap. 20. vitæ ipſius, ait. *His itaque peractis, longo confecto itinere, ad ſancti Cypriani Monaſterium pervenerunt. Monachi verò Bernardum, quem à multis annis non viderant, læti gratulantesque ſuſcipiũt, admirantes hominem hirſutum, barbatum, vilibus atque piloſis, juxtà eremiticæ conſuetudinis modum pannis ſubobſitum.*

Ex Jacobo de Vitriaco

S. R. Eccleſiæ Cardinali, cap. 13. hiſtoriæ Occidentalis. *Cum igitur à priſcis temporibus in partibus Occidentis, duæ tantùm fuiſſent regularium diverſitates, Monachi ſcilicet nigri, ſancti Benedicti regulam profitentes, & Canonici albi ſecundum B. Auguſtini regulam viventes, poſtquam peccatis exigētibus, primò modica negligentes, paululùm cadere cœperunt: tandem ad tantam diſſolutionem plures regularium Conventus devenerunt, quòd viri prudentes & timorati, ſub alio habitu, & aliis inſtitutis Domino militaturi ab ipſis receſſerint, &c.*

ſtolo dicit Jacobus. *Sunt nobis viri quatuor votum habentes ſuper ſe: his ergo aſſumptis, ſanctifica te cum illis & impende in illis, ut radant capita.* Itaque duplici allato Levitici teſtimonio, non abſolutè prohibet Deus caput radi, ſed radi prohibet, vel in cultum dæmonis, gentilium ritu Sacerdotum, vel in ſignificationem mœroris, demortuo propinquo.

SECTIO SECUNDA.

Sancti Patres atque Concilia habitum Monachalem prædicant & præcipiunt.

SANCTI PATRES.

1°. SANCTUS Dionyſius, cap. 6. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ de profeſſione Monachi loquens, ait. *Sacerdos ſigno Crucis eum conſignatum tondet: omnique*

CONCILIA.

1°. NICÆNUM primum, anno 325. celebratum. can. 76. *Ut Religioſi tùm Monachi, tùm moniales habeant alia indumenta, & alios mores, quam habent laici,*

ac tondeant caput in modum coronæ.

2°. Toletanum quartum ſub Honorio primo habitum, anno 633. can. 40. *Omnes Clerici vel Lectores, ſicut Levitæ & Sacerdotes, detonſo ſuperiùs capite toto, inferiùs ſolam circuli coronam relinquant: non ſicut huc uſque in Gallicia partibus facere Lectores videntur, qui prolixis, ut laici, comis in ſolo capitis apice modicum circulum tondent. Ritus enim iſte in Hiſpaniis huc uſque hæreticorum fuit.*

3°. Aquiſgranenſe primum, anno 816. convocatum, cap. 125. prohibet, ne veſte Monachali Canonici induantur. *Niſi tamen cum veſte etiam propoſitum voluerint aſſumere.* Rationem adducit. *Quia illorum habitum penitùs uſurpare non debent, à quorum propoſito quodammodo diſtant. Quia ſicut indecens eſt, ut arma militaria, more laicorum geſtent; ita nimirùm inhoneſtum eſt, & valde indecorum, ut alterius propoſiti indumenta ſibi imponant. Habitus namque veſte detractâ, cum alia induit.*

2°. Sanctus Athanaſius in lib. de Virginitate ante medium Sanctimoniali præſcribit, ut fuſcum vileque gerat veſtimentum. *Materia tuarum veſtium ne ſit pretioſa, indumentum tuum fuſcum ſit; non tinctum, ſed nativi coloris, aut ſaltem album.*

3°. Sanctus Hieronymus in Epiſt. 4. ad Ruſticum Monachum. *Vidi quoſdam*, inquit, *qui poſtquam renuntiavêre ſeculo, veſtimentis duntaxat & profeſſione, non rebus, nihil de converſatione priſtinâ mutaverunt.* Et epiſt. 13. ad Paulinum. *Tunicam*, inquit, *mutas cum animo.* Et epiſt. 15. ad Marcellam. *Tunicam fuſciorem induta ſe repentè Domino conſecravit.*

Multiplex autem ab eiſdem & aliis ſanctis Patribus profertur ratio, cur Monachi utantur veſte horridâ,

horridâ, ſacco, cucullis, & tondeantur. Certo & proprio utuntur veſtiũ genere, (inquit D. Baſilius quæſt. 22.) proprii ſtatûs deſignandi causâ. Si enim aliter induantur Senatores, aliter Milites, aliter Ruſtici; cur non certam & propriam veſtem induent Monachi? Cucullos ſibi inducunt, (inquit Caſſianus lib. 1. de Cœnobiorum inſtitutione) infantilis ſignificandæ gratiâ ſimplicitatis & innocentiæ, ad quam reverti Monachi deſiderant. Infantes enim velis quibuſdam quaſi cucullis involuuntur. Veſtitu aſpero aut certè vili, ut ſacco, teguntur (inquiunt S. Hieronymus & Caſſianus citatis locis) & ad agendam pœnitentiam, & ad contemptum mundi demonſtrandum. Nam ſaccum & amictum aſperum pœnitentibus convenire Scriptura innuit, cum Achab pœnitentem exhibet ſacco veſtitum. Sic tondentur (inquit venerabilis Beda,) ut relinquatur capillorum cir- *namque ſingulorum ordinum idcircò in Eccleſiis ab invicem diſcreti ſunt, ut his viſis, cujus propoſiti ſit geſtans, vel in quâ profeſſione Domino militet, liquidò cognoſcatur. Nam & Dominì lege vir muliebrem, & mulier virilem prohibetur induere veſtem, ſcilicet ut uterque ſexus ſibi convenienti veſte incedat. Sicut enim turpe eſt virum veſtem muliebrem, & mulierem veſtem virilem induere; ita valde indecorum eſt, Canonicum veſtem monachicam induere: niſi tamen cum veſte etiam propoſitum voluerit aſſumere.*

Ex quo ſecundæ refellitur malignus Scriptor epiſtolæ B. Robertum his verbis objurgans. *Ceterùm de pannoſi habitûs inſolentiâ plurimi te redarguendum putant; quoniam nec Canonicæ profeſſioni ſub quâ militare cœpiſti, nec Ordini Sacerdotali in quem promotus es, convenire vi-*

detur. Nam nedùm veſtem, ſed etiam Monachale propoſitum beatus Robertus aſſumpſerat. Teſtis eſt Goffridus Groſſus in vitâ ſancti Bernardi Tironienſis, cap. 11. *Erant autem in confinio Cenomanicæ, Britannicæque regionis vaſtæ ſolitudines, quæ tunc temporis, quaſi altera Ægyptus, florebant multitudine Eremitarum per diverſas cellulas habitantium, virorum ſanctorum, ac propter excellentiam religionis famoſorum. Inter quos erant principes & magiſtri Robertus de Arbriſſello, atque Vitalis de Mauritanio, Radulphus quoque de Fuſteia, qui poſteà Fundatores extiterunt multarum atque magnarum congregationum.*

culus, ad exprimendam ſpineæ coronæ Chriſti Domini imaginem. Ut enim communi ſigno Crucis Chriſtiani omnes exornantur; ita convenit ut Clerici ac Monachi, ardentiores Chriſti patientis imitatores, ſpeciali ſigno decorentur. Rem notatu dignam ediſſerit Gregorius Turonenſis in vitâ SS. PP. cap. 17. *S. Nicetius Epiſcopus ab ipſo ortûs ſui tempore deſignatus eſt Clericus. Nam cum partu fuiſſet effuſus, omne caput ejus, ut eſt conſuetudo naſcentium infantium à capillis quidem nudum cernebatur: in circuitu verò modicorum capillorum ordo apparuit, ut putares ab iiſdem coronam Clerici fuiſſe ſignatam.* Nec prætermittendum quòd ex tònſurâ mos invaluerit Epiſcopum deprecandi per ipſius coronam. Sic ſanctus Hieronymus D. Auguſtinum deprecatur epiſt. inter Auguſtinianas 26. *Fratres tuos Dominum meum Alypium, & Dominum meum Evodium, ut nomine meo ſalutes, precor coronam tuam.* Sic ipſe S. Auguſtinus Proculianum Epiſcopum obteſtatur epiſt. 147. *Per coronam noſtram nos adjurant veſtri, & per coronam veſtram vos adjurant noſtri.*

Digitized by Google

SECTIO TERTIA.

Beatus Robertus ſanctorum Anachoretarum, & præcipuè ſancti Ioannis Baptiſtæ impiger æmulator.

SUBSECTIO PRIMA.

Vaticinatio de ſancto Ioanne Baptiſtâ, & de beato Roberto.

DE ſancto Joanne Baptiſta infante legitur Luc. 1. v. 66. *Et poſuerunt omnes, qui audierant, in corde ſuo dicentes, quis putas puer iſte erit?* Non ad pueri præterita, etſi magna, quòd ſcilicet de ſterili utero natus ſit; quòd vocem patri incredulo reſtituerit; quòd in utero matris exultaverit, &c. Non inquam ad pueri præterita, etſi magna obſtupeſcunt, non exclamant, *qualis & quantus puer iſte?* Sed magis futura ejus demirantes, dicunt. *Quis putas puer iſte erit?* Sic etiam qui Robertum noverant adoleſcentem, magnum quiddam in eo intuebantur, ſed aliquid inſuper majus de eodem augurabantur. Ita Baldricus, cap. 1. num. 7. *Franciam adiit, & urbem, quæ Pariſius dicitur, intravit: litterarum diſciplinam, quam unicè ſibi poſtulaverat, pro voto commodam reperit; ibique aſſiduus lector inſidere cœpit. Illis exercitiis totus deſudabat: nec ob id converſationis approbatæ obſervantiam prætermittebat. Inter conſcholares quamdam modificatæ ſeveritatis majeſtatem prætendebat: & quod de ſe futurum erat, id quibuſdam indiciis evidenter ſignifi-*

Digitized by Google

cabat. Tunc temporis Rex Philippus Regis Henrici filius Francorum colonias regebat, & Gregorius ſeptimus urbis Romæ Papatum tenebat. Reddebat iterùm ſcholaſticis, quod ſcholaſticorum erat, nec propterea ſe Dei ſervitio minùs coaptabat. Auſpicabantur de eo jam aliquid, qui eum noverant, quoniam intuebantur in eo magnum quiddam. Quid autem auſpicabantur? illud quod de naſcituro Joanne prædixerat Angelus. [a]. *Et multos filiorum Iſraël convertet ad Dominum Deum ipſorum, & ipſe præcedet ante illum in ſpiritu & virtute Eliæ, ut convertat corda patrum in filios.* Sed quantum eſt corda patrum convertere in filios, ut tantâ ſit opus virtute? Nempe ſanctitatis Spiritum, qui in antiquis viguit patribus, velle corruptis ſufficere filiis, inconcuſſiſſimam exigit virtutem, virtutem ſanè quæ propria ſit Baptiſtæ & Roberti. Utriuſque munus eſt, ut verbis utar venerabilis Bedæ, *fidem ſcilicet atque ſpiritalem ſanctorum antiquorum ſcientiam, filiorum mentibus prædicando infundere.* Fuit hoc officium ſanctiſſimi Joannis: erit & munus invictiſſimi Roberti. Invenit Joannes Abrahami filios adeo effrænatos, ut *genimina viperarum* jure merito eos appellaverit. Reperiet etiam Robertus ultimos Chriſtianos degeneres. At tanti hujus viri erit, afflare illis ſanctitatis ſpiritum, quo primi replebantur Chriſtiani.

a. Luc. 1. v. 16.

Digitized by Google

SUBSECTIO SECUNDA.

Commoratio ſancti Ioannis Baptiſtæ, & beati Roberti in deſerto.

MAtth. 3. v. 1. De ſancto Joanne dicitur. *In diebus autem illis venit Ioannes, prædicans in deſerto Iudææ, & dicens: pœnitentiam agite, appropinquavit enim Regnum Cælorum. Hic eſt enim, qui dictus eſt per Iſaiam Prophetam dicentem, Vox clamantis in deſerto, parate viam Domini, rectas facite ſemitas ejus. Ipſe autem Ioannes habebat veſtimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos ſuos: eſca autem ejus erat locuſtæ, & mel ſylveſtre. Tunc exibat ad eum Ieroſolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem.*

Similia refert de beato Roberto Baldricus, cap. 2. num. 11. * Dies affuit, quo ad eremum diu concupitam, aſcito ſibi quodam Preſbytero, mundo renuntians convolavit: divertit in ſylvam, hominum aſpernatus collegium, factus contubernalis beſtiarum. Ibi quantis inhumanitatibus in ſe totus ſævierit, quot, & quantis crucibus ſe ipſe mactaverit, quàm diris concuſſionibus ſeſe extenuaverit, quis dignè recenſeat? Nam præter ea, quæ extrinſeca videbantur, uti pilis porcorum cilicium induere, barbam ſine aquâ radere (*ut quid ergo Robertum de barbæ prolixitate Scriptor criminatur malevolus?*) lectiſternium præter humum vix noſſe, vinum omninò ciboſque lautos & ſaginatos neſcire, ſomnum permodicum, naturali fragilitate compellente, rarò capere; quidam

„ intrinſecus in eo erat conflictus, quidam mentis rugitus,
„ quidam penetralium ſingultus, quem autumare poſſes
„ crudelem, & impium, cui nullum incidere poterat ter-
„ minale remedium, quem multi ſuſurrabant imbecilli-
„ tati luteæ eſſe impoſſibilem & nimium. Litigabat enim
„ ejulatu incomparabili cum Deo, & totum ſe vovebat
„ pro Sacrificio. Omnibus mitis, & modeſtus, ſibi ſoli
„ tantùm inimicabatur obſtinatus & iniquus.

„ ***Et num.*** 12. † Turbis adventantium (multæ ſiqui-
„ dem turbæ viſendi gratiâ ad eum adventabant) jo-
„ cundus erat, & alacer, affabilis & diſcretus, in am-
„ biguis conſultus, in reſponſis promptus. Redolebat
„ in eo quodammodo odor divinæ facundiæ: nam ra-
„ rus erat ſimilis eloquentiæ. Unde factum eſt, ut eo
„ audito, multi corda ſua percuterent, ſuiſque pravis
„ converſationibus abrenuntiarent. Alii domum ſuam re-
„ vertebantur prædicatione ejus meliorati; alii ſecum
„ demorari cupiebant, ejuſque famulatui deſervire, &
„ irremoti conſodales ei adhærere rogitabant. Hujuſmodi
„ frequentias ultroneus aufugeret, & ſolus deliteſceret,
„ niſi propterea culpam metueret incurrere: legerat
„ enim, qui audit, dicat, veni. Incumbebat igitur ta-
„ lentum ſibi commiſſum diſtribuere, quod dominus à
„ nuptiis veniens exigeret cum fœnore. Viſum itaque
„ eſt illi multos debere colligere, ipſiſque dare mandu-
„ care, ne fortè deficerent in viâ, quidam enim ex iis
„ de longinquo venerant. Vocati autem ſunt collecti
„ illi, Regulares, qui more primitivæ Eccleſiæ vivere
„ ſatagebant regulariter. Factum eſt igitur examen illud
„ advolans de mundi lenocinio, Canonicorum congre-
„ gatio. Præerat eis Robertus docens eos mellifico more
„ apis prudentiſſimæ. Ædificarunt itaque commune
„ domicilium, & complexabantur diligenter monitoris
„ magiſterium.

Expende autem. *Unde factum eſt, ut eo audito*

multi corda ſua percuterent. Quantæ igitur beati Roberti laudes ? nam ut rectè docet ſanctus Hieromus Epiſtolâ 2. ad Nepotian. *Te in Eccleſiâ docente, non clamor populi, ſed gemitus ſuſcitetur, lacrymæ auditorum laudes tuæ ſint. Verba volvere, & celeritate dicendi apud imperitum vulgus admirationem ſui facere, indoctorum hominum eſt. Nihil tam facilè quàm indoctam plebem linguæ volubilitate decipere, quæ, quod non intelligit, plus miratur.* Hanc linguæ volubilitatem reſpuit Joannes Baptiſta, reſpuit & Robertus, uterque tamen vox, & vox quidem clamantis in deſerto. Sed cur additur, *vox clamantis in deſerto?* ut oſtendatur, ibi non agi ſolùm de voce orta ab ore, ſed maximè de voce natâ à morum compoſitione; ut dicat Origenes Homil. 11. in Lucam. *Qui in deſerto prædicat, ſuperfluè ibi facit vociferari, ubi ſe loquentem nullus exaudiat.* Superfluum duceres, ſi Joannis, Robertique concio intelligeretur de ſolâ oris prædicatione, quis enim vociferetur, ubi nullus audit ? Intelligitur ergo, & præſertim quidem, de voce virtutum in deſerto à Joanne & à Roberto exercitarum; quæ omni voce contentiùs viam cœlorum præmonſtrabant. Quæ enim vox altior & ſuavior, quam quæ piis ab operibus proficiſcitur? De ſancto Joanne Baptiſtâ dicit Matthæus. *Habebat veſtimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos ejus.* Et de beato Roberto narrat Baldricus, cilicium porcorum pilis contextum induiſſe, cubuiſſe ferè ſemper humi, lautos aut ſaginatos non guſtaſſe cibos, & innumeris in ſe totum ſæviiſſe inhumanitatibus. Quid hîc deſideres ad plenam cum voce clamantis in deſerto contentionem? Joannes totus erat vox, totus erat & Robertus, uterque non ſolùm ore, ſed ſe toto concionabatur. Concionabatur verbis, quia ſermo utriuſ-

Digitized by Google

que ad conſecutionem virtutis accendebat. Concionabatur veſte, quæ ex porcorum & camelorum pilis erat conflata. Concionabatur cibo, quippe qui parciſſimus, & ferè nullus. Concionabatur humilitate ſuâ, patientiâ ſuâ, pœnitentiâ ſuâ, zelo ſuo, & ſuis omnibus virtutibus. *Vox clamantis in deſerto.*

SECTIO QUARTA.

Beatus Robertus canonum à Conciliis & ſanctis Patribus conditorum obſervantiſſimus.

CANONES à Conciliis & ſanctis Patribus de veſtimentis traditos nedùm ſervavit ipſe Robertus, ſed ſervandos etiam religiosè alumnis ſuis demandavit. * Noverat denique, (*inquit Fr. Andreas cap. 2. num.* 10.) quàm vilis tunica contemptum mundi demonſtrat : & ob hanc cauſam, & ſe, & ſuos ſibi ſubditos vilioribus indumentis veſtiri volebat. Dicebat enim nobis illa veſtimenta omnibus religioſis poſſe ſufficere, quæ frigus humanæ fragilitatis poſſent expellere; non quæ corpus quandoque moriturum poſſent ornare; quod ſine dubio reprehenſione dignum eſt & ſeculare. Hæc tamen regula de veſtimentis ab eo conſtituta eſt in noſtrâ Religione, ut juxta ſancti Benedicti magiſterium, neque fratres, neque ſorores noſtræ inculparentur de nativo veſtimentorum colore, vel groſſitate, aut latitudine.

Quis jam ſceleſti Cenſoris opinione ducatur? Quis beatum Robertum in aſpero, vili, incultoque veſtitu culpandum exiſtimet? Si jure ſancto Fundatori impingit Scriptor improbus; *Cæterum de pannoſi habitûs inſolentiâ plurimi te reprehendendum putant, coopertum ad carnem cilicio, barbâ prolixâ, capillis ad fron-*

tem circumciſis, nudipedem per vulgus incedere. Nec injuriâ etiam Monachis opponet Vvolphangus. *Reſpondeant Monachi, quomodò ab hypocriſi & ſuperſtitione tueantur, quòd ſingulari & colore, & formâ à conſueto ſeſe & populari amictu disjunxerunt.* Si coarguendus Robertus, qui, teſte Baldrico, ad carnem ferreâ indutus eſt loricâ, & horrente ſetis induſio, coarguendus etiam Joannes Baptiſta de quo Matthæus. *Ipſe autem Ioannes habebat veſtimentum de pilis camelorum.* Coarguendi ſancti Prophetæ Elias & Iſaias; coarguendi ſancti veteris Teſtamenti; coarguendi S. Pachomius, & coævi Monachi; coarguendi SS. Vitalis de Mauritanio, Radulphus de Fuſteia, & Bernardus de Tironio beati Roberti ſocii; coarguendi tot excalceati diverſorum Ordinum Religioſi. At perfidus Scriptor objicit. *Pannoſus habitus, nec canonicæ profeſſioni, ſub qua militare cœpiſti, nec Ordini Sacerdotali, in quem promotus es, convenire videtur.* Verùm an Canonicus & Sacerdos tantùm erat Robertus? nonne Eremita etiam? imò teſte Goffrido groſſo *Eremitarum princeps & Magiſter*? Si Eremitæ & Monachi propoſitum, nonne & veſtimentum poterat, immò juxta concilii Aquiſgranenſis decretum tenebatur aſſumere Robertus? Vituperatur itaque in eo, quod ad praxim Sancti reduxerunt, quod magnis Patres laudibus extulerunt, quod plura præceperunt Concilia. Quis jam non videat, perditum epiſtolæ hujus artificem, non Epiſcopum eſſe, ſed Hæreticum; non Marbodum, aut Hildebertum, ſed Roſcelinum, vel alium hujuſcemodi facinoroſum.

CAPUT SEXTUM.

Beatus Robertus à culpâ Phariſaicæ hypocriſis & ſuperbiæ eximitur.

SEXTUM accuſationis caput eâdem ex Epiſtolâ arreptum. *Iuxtà quod Dominus dicit. Væ vobis Phariſæi & Scribæ Hypocritæ, qui circuitis mare & aridam, ut faciatis unum proſelytum, & cum factus fuerit, facitis eum duplo filium Gehennæ. Si autem pro uno proſelyto facientibus, væ; quid debetur tales plurimos facienti? nam ſi unius damnatio plures condemnat, multò amplius plurimorum perditio redundat in unum. Tuorum autem proſelytorum tantus eſt numerus.* Et infrà. *A quibus ſi quæritur cauſa, homines Magiſtri ſe eſſe reſpondent: Nec addere ſolent cujus, ut ſcilicet abſoluta reſponſio de tua pronuntiet excellentia.* Ubi beatus Robertus in crimen Phariſaicæ hypocriſis & ſuperbiæ vocatur.

SECTIO PRIMA.

Beatus Robertus à culpâ Phariſaicæ hypocriſis eximitur.

BALDRICUS, cap. 1. num. 10. loquens de Roberto, ait. † Venit igitur Andegavum, ibique
„ ſcholaribus incubuit ſtudiis: nec propterea tepebat à
„ Religione, ſiquidem divinæ poſt lectionem aſſiſtebat
„ Philoſophiæ; vitabat otioſus eſſe, nunc orationi,
nunc

nunc verò lectioni deditus. Deſtinans itaque carnis "
illecebris auſteriùs dominari, ſubtùs ad carnem in- "
dutus eſt loricam: quâ veſte duobus uſus eſt annis, "
antequam ad eremum proceſſerit. Ad eremum quip- "
pe poſteà proceſſit, ſeque totum contemplationi de- "
dicavit. In biennio autem, quo illa ferrugineâ veſte "
carnem domabat, DELICATIS DESUPER TEGEBATUR "
PANNIS, OCULIS ET FAVORI HOMINUM SE OCCUL- "
TANS, CONSPECTUI VERÒ DEI SE DUNTAXAT MA- "
NIFESTANS. Favorales ſiquidem in omni vitâ ſuâ deſ- "
pexit nugas: &, quaſi venenum, omne blandilo- "
quium aſpernatus eſt. Cibis interdùm raris & vilibus "
utebatur, & interdum vigiliis occupabatur. *Et cap.* "
3. *num.* 18. HYPOCRISIM A SE FUNDITÙS EXTIRPABAT, "
facie hilaris, & jucundus. "

SECTIO SECUNDA.

Beatus Robertus à culpâ Phariſaicæ ſuperbiæ eximitur.

VITAM Scribarum & Phariſæorum totam explicat Chriſtus Dominus, Matth. 23. atque eam non modò in animis Diſcipulorum, ſed etiam in oculis conſpectuque omnium exponit. † Tunc Jeſus
locutus eſt ad turbas, & ad Diſcipulos ſuos dicens: "
ſuper Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi. "
Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, ſervate & "
facite: ſecundùm verò opera eorum nolite facere, "
dicunt enim, & non faciunt. Alligant enim onera "
gravia, & importabilia, & imponunt in humeros ho- "
minum: digito autem ſuo nolunt ea movere. Omnia "
verò opera ſua faciunt, ut videantur ab hominibus: "
dilatant enim phylacteria ſua, & magnificant fimbrias. "

„ Amant autem primos recubitus in cœnis, & primas „ cathedras in Synagogis, & ſalutationes in foro, & „ vocari ab hominibus Rabbi. Vos autem nolite vocari „ Rabbi. Unus eſt enim Magiſter veſter, omnes autem „ vos fratres eſtis. *Et num.* 15. Væ vobis Scribæ & Pha„ riſæi hypocritæ: quia circuitis mare & aridam, ut fa„ ciatis unum proſelytum: & cum fuerit factus, facitis „ eum filium gehennæ duplo quàm vos.] Sed quàm ſcelerate, quàm nequiter, quàm doloſè hæc omnia beato Roberto adſcribat malitioſus Epiſtolæ fabricator, difficilis operæ non eſt demonſtrare.

An etenim *dixit & non fecit?* qui [a]. *doctor fuit illuſtris & eximius, verbis & operibus admirandus?* qui, *quod prædicabat, complebat operibus?* quem *commendabat laudabilis & verborum & operum comitatus?* An *alligavit onera gravia & importabilia, & impoſuit in humeros hominum, digito autem ſuo noluit ea movere?* qui [b]. *omnibus mitis erat & modeſtus, ſibi autem ſoli inimicabatur obſtinatus & iniquus?* qui *jejunia ſæpe continuavit, orans frequenter pernoctavit, & nullâ quemque exaſperavit moleſtiâ?* qui *copioſus erat in diſtribuendo, ſibi modicum, fratribus autem & ſororibus indulgebat multùm?* An *omnia opera ſua fecit, ut videretur ab hominibus?* qui [c]. *pretioſis & mollibus veſtimentis ferream loricam, quâ ad carnem induebatur, contexit?* An *primos recubitus amavit, & primas cathedras?* qui [d]. *duplici Abbatiâ, Rotæ ſcilicet & Fontis-Ebraldi ſe abdicavit*; qui *omnem dominatum depoſuit*, qui *ſe, ſuoſque, ſuaque omnia ancillis Chriſti humiliter ſubjecit?* An *fecit filios gehennæ duplo quàm ipſe?* [e]. qui *Verbo diuinæ prædicationis ſagaciter invigilans*,

a. Baldricus prologo. n. 1. & cap. 2. n. 15. *b.* Baldricus cap. 2. n 11. cap. 3. num. 18. *c.* Baldricus cap. 2. num. 10. *d.* Baldricus cap. 2. n. 15. Fr. Andreas cap. 1. num. 15. *e.* B. Petrus Pictav.

Digitized by Google

& tonitruo ſanctæ exhortationis, plures tam viros, quàm mulieres à ſeculari luxu revocavit? [a]. qui *multos diverſi ſexûs, ad converſionem, tàm prædicationis verbo, quam vitæ traxit exemplo?* quem [b]. *mundo dedit Deus ſpeculum, ſuffocatorem vitiorum, propagatorem & educatorem virtutum, omnium deſolatarum & erronearum perſonarum ſolamen & præambulum?*

Quid ad hæc reſpondes Roſceline? quid reſpondes Hæretice? nondùm ſiles, nondùm taces, nondùm obmuteſcis; obgannis adhuc Robertum more Phariſaico glorioſum *Magiſtri* titulum affectaſſe. Verum eſt, ſanctum Inſtitutorem hoc nomine ab alumnis ſuis fuiſſe appellatum. *Prælatum ſuum*, (inquit Baldricus cap. 3. num. 17.) *Magiſtrum tantummodo vocabant; nam neque Dominus, neque Abbas vocitari volebat.* Sed falſiſſimum eſt, ipſum ritu Phariſaico in illo titulo faſtuosè gloriatum eſſe. Hoc autem ſecundum duntaxat prohibet Chriſtus Dominus, non verò primum, dicens. *Nolite vocari Rabbi.* Et. *Ne vocemini Magiſtri.* His enim verbis culpat, non factum, ſed affectum, quo ſtudiosè appetuntur hujuſmodi vanitatis lenocinia. Nam talibus præcellentiæ nominibus ſœpe nos inſigniri decet, amare & ea conſectari non decet. Nonne D. Paulus ſe ipſum vocat *Magiſtrum gentium*? 2. ad Timoth. 1. v. 11. *In quo poſitus ſum ego prædicator, & Apoſtolus, & Magiſter gentium.* Et ſicut *unus* per naturam *Deus*, non obeſt cæteris, ne per adoptionem *dii* nuncupentur; ſic, *unus Pater*, & *unus Magiſter* aliis non incommodat, quominus Patres & Magiſtri ſecundariè appellentur. Ita ſanctus Hieronymus in Matth. cap. 23. † Quæritur, *inquit*, quare adverſum hoc præceptum, « Doctorem gentiũ Apoſtolus ſe eſſe dixerit: aut quomo- « dò vulgato ſermone, maximè in Palæſtinâ, & Ægypti «

a. Chronicon Abbatiæ S. Sergii. *b.* Baldricus cap. 1. num. 4.

Digitized by Google

„ Monaſteriis ſe invicem Patres vocent? Quod ſic ſol-
„ vitur : aliud eſſe naturâ patrem vel magiſtrum, aliud
„ indulgentiâ. Nos, ſi hominem patrem vocamus, ho-
„ norem ætati deferimus, non autorem noſtræ oſtendi-
„ mus vitæ. Magiſter quoque dicitur ex conſortio veri
„ magiſtri. Et ne infinita replicem : quomodò unus per
„ naturam Deus, & unus filius, non præjudicat cæte-
„ ris, ne per adoptionem dii vocentur & filii, ita unus
„ & pater & magiſter, non præjudicat aliis, ut abu-
„ ſivè appellentur patres, & magiſtri.
„ Condemnat itaque ambitionem Chriſtus, hono-
rumque contentionem. Dixerat enim priùs, *amant pri-
mos recubitus, & vocari ab hominibus Magiſtri*,
non verò eruditionis titulos, uſu ab academiis rece-
ptos, in Galliâ potiſſimùm, ubi à quingentis annis
& ampliùs titulus *Magiſtri* non tantùm inſonuit, ſed
& communiter acceptus eſt. Epiſtola 200. Sancti Ber-
nardi inſcribitur *ad Magiſtrum Vlgerium Andega-
venſem Epiſcopum*. Abælardus in Epiſtolis ſancti
Petri venerabilis, Cluniacenſis Abbatis, ſæpiùs *Ma-
giſter* appellatur. Beati Robertus, Bernardus, Vitalis,
& Radulphus de Fuſteia à Goffrido Groſſo *Eremi-
tarum principes & Magiſtri* nominantur. Idem Ra-
dulphus, B. Roberti ſocius, dictus eſt Sanctimonia-
lium ſancti Sulpitii Redonenſis *Magiſter*. Ita refertur
in chartâ anno 1117. 3. idus Novemb. feriâ 4. datâ.
*Fulco Comes Andegaviæ, Turoniæ, Cœnomaniæ,
& uxor ejus Aremburgis dederunt Abbatiſſæ &
Monialibus novi Monaſterii ſancti Sulpitii terram
quæ vocatur la fontaine ſaint Martin. In mani-
bus Radulphi Monachi* MAGISTRI SANCTIMO-
NIALIUM *& eum de dono inveſtivimus cum au-
reo annulo, in aulâ noſtrâ Cœnomanis.* Quâ igitur
ratione B. Roberto nomen hoc vitio verteretur, niſi
ab Hæreticis, qui perversè, ut ait Eſtius, *ne voce-*

mini Magiſtri interpretantur. Ex quorum numero nefarium fuiſſe Roſcelinum jam aſſeruimus.

CAPUT SEPTIMUM.

Beatus Robertus de novo, inaudito, & infructuoſo Martyrii genere purgatur.

SEPTIMUM exprobrationis caput ex primâ extractum Epiſtolâ. *Fœminarum quaſdam, ut dicitur, nimis familiariter tecum habitare permittis, & cum ipſis etiam & inter ipſas noctu frequenter cubare non erubeſcis. Hoc ſi modo agis, vel aliquando egiſti, novum & inauditum ſed infructuoſum Martyrii genus inveniſti.* Suam hîc prodit inſcitiam ſcriptor. Infructuoſum enim iſtud martyrii genus nequaquam novum erat tunc, & inauditum. Jampridem illud memoraverat ſanctus Cyprianus Epiſtolâ 62. ad Pomponium. * Legimus litteras tuas, frater chariſſime, quas per Paconium fratrem noſtrum miſiſti; poſtulans & deſiderans, ut tibi reſcriberemus, quid nobis de iis Virginibus videatur, quæ cum ſemel ſtatum ſuum continenter & firmiter tenere decreverint, detectæ ſint poſtea in eodem lecto pariter manſiſſe cum maſculis. Ex quibus unum Diaconum eſſe dicis; planè eaſdem, quæ ſe cum viris dormiſſe confeſſæ ſint, aſſeverare ſe integras eſſe. (*& quibuſdam interjectis, inſulſam confutat reſponſionem, & prædicti accubitûs atrocitatem demonſtrat.*) Nec aliqua putet ſe poſſe hac excuſatione defendi, quod inſpici & probari poſſit, an Virgo ſit; cum & manus obſtetricum & oculi ſœpè fallantur. Et ſi incorrupta inventa fuerit Virgo eâ parte ſui, quâ mulier poteſt eſſe, potuerit tamen ex alia cor-

Digitized by Google

„ poris parte peccaſſe, quæ corrumpi poteſt, & tamen „ inſpici non poteſt. Certè ipſe concubitus, ipſe com„ plexus, ipſa confabulatio & oſculatio, & conjacen„ tium duorum turpis & fœda dormitio, quantum de„ decoris & criminis confitetur? Si ſuperveniens maritus „ ſponſam ſuam jacentem cum altero videat, nonne „ indignatur & fremit? & per zeli dolorem fortaſſis „ & gladium in manum ſumit? Quid? Chriſtus Domi„ nus & judex noſter, cum Virginem ſuam ſibi dica„ tam, & ſanctitati ſuæ deſtinatam jacere cum altero „ cernit, quam indignatur & iraſcitur? & quas pœnas „ inceſtis ejuſmodi conjunctionibus comminatur?

Memoraverat & ſanctus Hieronymus Epiſtolâ 22. ad Euſtochium datâ. † Pudet dicere, proh nefas: triſte, „ ſed verum eſt. Unde in Eccleſias Agapetarum peſtis „ introiit? Unde ſine nuptiis aliud nomen uxorum? „ immò unde novum concubinarum genus? plus infe„ ram. Unde meretrices univiræ? eadem domo, uno cu„ biculo, ſæpe uno tenentur & lectulo; & ſuſpicioſos „ nos vocant, ſi aliquid extimemus. Frater ſororem vir„ ginem deſerit, cœlibem ſpernit virgo germanum, „ fratrem quærit extraneum; & cum in eodem propo„ ſito eſſe ſe ſimulent, quærunt alienorum ſpiritale ſo„ latium, ut domi habeant carnale commercium.] Quot itaque ævo ſanctorum Cypriani & Hieronymi infructuoſo hoc martyrio cruciati ſunt? ut quid ergo novum & inauditum martyrii genus Scriptor appellat?

Digitized by Google

SECTIO PRIMA.

Beatus Robertus, Martyr quantum in ipſo fuit pro objurgatione luxuriæ, Martyr pro defenſione caſtitatis, in Concilio Pictavienſi.

IN hoc Concilio invictam animi ſui magnitudinem exprompſit Robertus, adverſùs Philippum Galliæ Regem, qui rejectâ contra fas uxore, illicito Bertradam amore proſequebatur: adverſùs Guillelmum Aquitaniæ Ducem, qui Philippi Regis impulſu, Concilium hoc Pictavienſe, ad innuptas ejuſdem Regis nuptias dirimendas, Paſchalis ſecundi juſſu convocatum, intentato ſupplicio mortiſque terrore, perfringere per vim ac labefactare conabatur. Diffugientibus turpiter præ timore cunctis Epiſcopis, ſolus Robertus cum Bernardo comite ſuo conſtitit imperterritus, & ſuâ conſtantiâ ſic legati confirmavit excitavitque animum, ut ipſe pro tribunali ſedens, nequicquam fremente Guillelmo, totoque ejus exercitu, publicè in æde ſancti Petri excommunicationis tulerit ſententiam.

Illiciti Regis Philippi erga Bertradam amoris meminit Ordericus Vitalis Uticenſis Monachus, lib. 8. pag. 699. * Circa hæc tempora, in Regno Galliæ " fœda turbatio exorta eſt. Bertrada enim Andegavo- " rum Comitiſſa metuens ne vir ſuus, quod jam dua- " bus aliis fecerat, ſibi faceret, & relicta contemptui " ceu vile ſcortum fieret, conſcia nobilitatis & pulchri- " tudinis ſuæ, fidiſſimum legatum Philippo Regi Fran- " corum deſtinavit, eique quod in corde tractabat, " evidenter notificavit. Malebat enim ultrò virum re- "

linquere, aliumque appetere, quam à viro relinqui, omniumque patere deſpectui. Denique mollis princeps, compertâ laſcivæ mulieris voluntate, flagitio conſenſit, ipſamque relicto marito Gallias expetentem cum gaudio ſuſcepit. Porro generoſam & Religioſam conjugem ſuam nobilis Florentii Ducis Freſionum filiam, quæ Ludovicum & Conſtantiam enixa fuerat ei, dimiſit: & Bertradam quæ ferè quatuor annis cum Fulcone Andegavenſi demorata fuerat, ſibi copulavit. Odo Baiocenſis Epiſcopus hanc execrandam deſponſationem fecit, idoneoque dono mœchi Regis pro recompenſatione infauſti famulatûs, Eccleſias Madanti oppidi aliquamdiu habuit. Nullus enim Francorum Præſulum execrabilem conſecrationem dignatus eſt facere: ſed in rigore ſtantes Eccleſiaſticæ rectitudinis, Deo magis quam homini ſtuduerunt placere, & omnes turpem copulam unanimiter deteſtati ſunt pari anathemate. Sic petulans pellex adulterum Comitem reliquit, adulteroque Regi uſque ad mortem ejus adhæſit. (*Vxor tandem ipſius ex Pontificia diſpenſatione legitima, ut innuit idem Ordericus lib* 11. *pag.* 818. *& ex dicendis paſſim perſpicuum erit.*) Abominabile crimen mœchiæ in ſolio Regni Galliæ, proh dolor! perpetratum eſt. Unde inter opulentos rivales minarum ingens tumultus, & præliorum conatus exortus eſt. Verùm verſipellis mulier inter rivales ſimultatem compeſcuit, ingenioque ſuo in tantam pacem eos compaginavit, ut ſplendidum eis convivium præpararet, & aptè, prout placuit, ipſis miniſtraret. Urbanus Papa Legatos Apoſtolicæ ſedis in Galliam deſtinavit, per Epiſtolas & Sacerdotum prædicationem erroneum Regem arguit, obſecravit, & increpavit, qui legitimam conjugem repudiaverit, adulteramque ſibi con-

Digitized by Google

tra legem Dei ſociaverit. Cæterùm in flagitio gravi- "
ter obduratus, adinſtar ſurdæ aſpidis, quæ obturat "
aures ſuas ad vocem incantantis, corripientium hor- "
tamenta Patrum ſprevit, & in adulterii fœtore diu "
putridus jacuit, & donec filios duos, Philippum & "
Florum ex adulterâ genuit. Tempore igitur Urbani & "
Paſchalis Romanorum Pontificum ferè xv. annis in- "
terdictus fuit.] Excommunicatus verò undecim. Nam "
primùm excommunicatio in Philippum lata eſt ab Hugone Lugdunenſi Archiepiſcopo, & ſanctæ ſedis Legato in Synodo Auguſtoduni congregatâ, die 13. Octob. anno 1094. A quâ in alia Synodo Pariſiis habita 4. nonas Decemb. anno 1105. Lambertus Attrebatenſis Epiſcopus eum abſolvit.

Porrò veritati minimè conſentaneum eſt quod tradit chronicon Fuxenſe, morem conſignandi Philippi annos in publicis inſtrumentis intermiſſum fuiſſe, quandiu fuit anathemate mulctatus; tuncque ſcriptum eſſe, *Regnante Chriſto*, pro, *regnante Philippo.* Id demonſtro ex duobus duarum Abbatiarum, quas cum laude Robertus adminiſtravit, chartulariis. Ex chartulario B. Mariæ de Rotâ. *Benedixit ergo Epiſcopus cœmeterium noſtrum, & conſecravit altare ad honorem glorioſiſſimæ Virginis, necnon ſancti Ioannis Evangeliſtæ, & hæc facta ſunt vii cal. Maii, in Litania majore, Philippo Rege Franciæ Imperium, Vrbano Romanæ dignitatis cathedram obtinente, ordinante Domino Ieſu Chriſto. His itaque expletis Dominus Robertus de Arbriſſel perrexit Andegavum.*

Ex Chartulario Fontis-Ebraldi chartâ primâ. *Ego Robertus de Arbriſſello mandavi litteris tradi donum quod donavit de domo ſua, & de ſupellectilibus quæ ad domum pertinent Domino Deo, & Eccleſiæ ſanctæ Mariæ, atque Sanctimonialibus Fon-*

Digitized by Google

tis-Ebraudi pro Dei amore & mei Fulco Foterellus, &c. Actum Philippo in Francia regnante, Fulcone Andegavenſium Comite, Petro bonæ memoriæ Pictavienſium Epiſcopo, & Raginaudo de Martiniaco Andegavenſium Epiſcopo. Chartâ 790. *Ego Paganus de Miribello dono & concedo Deo, & ſanctæ Mariæ, & Sanctimonialibus Fontis-Evraudi in manu Domini Roberti de Arbriſſello quandam partem nemoris mei quod vocatur Raretum, &c. Acta eſt hæc charta regnante Philippo Francorum Rege, Radulpho Turonorum Archiepiſcopo, Fulcone Andegavorum Comite.* Chartâ 915. *Ego Radulphus de ſancto Ioanne dono ſanctæ Mariæ de Fonte-Evraudi & Sanctimonialibus ibidem Deo ſervientibus terram de Podio Dorini, &c. Hoc donum factum eſt per manum Domini Roberti de Arbriſſello. Actum eſt hoc regnante Philippo Francorum Rege, Guillelmo Aquitanorum Duce, Petro Pictavorum Pontifice.*

Præ cæteris, quas plures miſſas facio, ad exemplum inſignis eſt charta 348. à Fulcone Richino ſcripta. *Ego Fulco Andegavenſium Comes omnia prata, quæ habeo in Gaina, dono & concedo Deo, & B. Mariæ, & Sanctimonialibus Fontis-Ebraudi in manu Domni Roberti de Arbriſſello, &c. Acta Philippo Francorum Rege, Guillelmo Aquitanorum Duce, Petro Pictavorum Pontifice.* An, obſecro, Fulco Richinus, cujus uxorem Bertradam Philippus retinebat, formulam *regnante Philippo* appoſuiſſet, ſi obtinuiſſet conſuetudo, ut omitteretur?

Roberti verò in Concilio Pictavienſi magnanimitas enarratur à Goffrido Groſſo autore coætaneo, cap. 23. vitæ B. Bernardi de Tironio, quam jubente Goffrido Carnotenſi Epiſcopo, & ſanctæ ſedis legato litteris mandavit. † Per id temporis, duo Cardinales,

Joannes atque Benedictus Apoſtolicæ ſedis legatione "
fungentes, ad urbem Pictavim Concilium convoca- "
runt. In quo centum & quadraginta Patres affuerunt, "
qui Philippum Regem Francorum, propter Fulconis "
Andegavenſis Conſulis uxorem, quam in adulterio "
tenebat, anathematis vindictâ percuſſerunt. Quâ ex- "
communicatione compertâ, Guillelmus Dux Aquita- "
norum, qui aderat, totius pudicitiæ, & ſanctitatis "
inimicus, timens ne ſimilem vindictam pro conſimi- "
libus culpis pateretur, nimio furore ſuccenſus, juſſit "
omnes illos deprædari, flagellari, occidi. Quod mi- "
niſtris ſuis facere incipientibus, Pontifices & Abbates "
omnes huc illuc diffugiunt; & ut temporalem vitam "
retinerent, tuta latibula quærere contendunt. AT VE- "
RÒ BERNARDUS ATQUE ROBERTUS OR- "
BRESSELLENSIS, QUI CONCILIO INTE- "
RERANT, FORTISSIMI IUSTITIÆ PROPU- "
GNATORES, AC TOTIUS INIQUITATIS AC "
INIUSTITIÆ OPPUGNATORES, aliis turpiter "
diffugientibus, ita immobiles conſtanteſque perſtite- "
runt, ut nec ab incœpto excommunicationis deſiſte- "
rent, ſed pro Chriſto mortem vel contumeliam pati "
glorioſiſſimum ducerent: & quamvis eis perſecutores "
mortem non intulerint, iſti, quantùm in ipſis fuit, "
martyrium pertulerunt. *Quod ut intelligas.* "

Nota ad perfectam Martyrii rationem duo abſolutè requiri; pœnam ſcilicet maximam, & cauſam legitimam. Pœna requiritur maxima, mortis nimirum: unde ſanctus Auguſt. tractatu 123. in Joan. *Si nulla eſſet mortis moleſtia, nulla eſſet Martyrum gloria.* Cauſa etiam deſideratur legitima, teſte eodem ſancto Doctore, Epiſtolâ 50. Comiti Bonifacio inſcriptâ. *Qui propter juſtitiam perſecutionem patiuntur; martyres veri ſunt.* Octo autem de cauſis legitimis Martyr quis efficitur. 1°. Pro juſtitiâ, ut Abel. 2°. Pro

aſſertione veritatis, ut Iſaias & Jeremias. 3°. Pro lege Dei ſervandâ, ut Machabæi. 4°. Pro Chriſto, ut Innocentes. 5°. Pro ſalute populi, ut Chriſtus Dominus. 6°. Pro fide Chriſti, ut Stephanus. 7°. Pro libertate & defenſione Eccleſiæ, ut Thomas Cantuarienſis. 8°. Pro objurgatione peccati, luxuriæ v. g. ut Joannes Baptiſta, Robertus de Arbriſſello, & Bernardus de Tironio.

Martyr itaque Robertus, quantum in ipſo fuit, pro objurgatione luxuriæ, quomodò in luxuriam incidiſſet? Martyr pro defenſione caſtitatis, quomodò caſtitatem læſiſſet? Martyr vero & ſanctiſſimo Martyrio, quomodò novum & inauditum, infructuoſum tamen Martyrii genus potuiſſet invenire? quid adverſantius? quid diſſimilius? quid repugnantius illo duplici Martyrio, tolerantiâ mortis pro Chriſto, & laſciviâ? Illa enim virtutis actus eſt, ſed potiſſimùm fortitudinis. Juxta illud Hebræorum 11. v. 34. *Fortes facti ſunt in bello.* Et meritò; quia ſicut fortitudo civilis & acquiſita animum hominis firmat in juſtitiâ humanâ; ita multò magis fortitudo ſpiritalis animum ejuſdem hominis firmat in juſtitiâ divinâ, propter quam mortis ſubit periculum. Laſcivia verò fortitudinem nedùm divinam, ſed bellicam etiam extinguit, bellatorum corda emollit, & contra eos vel fœminam reddit ſuperiorem. Proponit in exemplum Judith & Holofernem D. Ambroſius, lib. de viduis.
„ † Hæc enim vera eſt fortitudo, quæ naturæ uſum,
„ ſexûs infirmitatem, mentis devotione tranſgreditur:
„ qualis in illâ fuit, cui nomen Judith, quæ viros obſi-
„ dione fractos, perculſos metu, tabidos fame, ſola
„ potuit à colluvione revocare, ab hoſte defendere.
„ Etenim ut legimus, cum Holofernes ſucceſſu multo-
„ rum terribilis præliorum, intrà muros innumera viro-
„ rum millia coegiſſet, armatis paventibus, & de extre-

mâ jam ſorte tractantibus, extra murum proceſſit, & "
illo præſtantior exercitù quem liberavit, & eo fortior "
quem fugavit. *Et infrà.* Nec cibo enim, ut legimus, "
maculata, nec adulterio, non minùs ſervatæ caſtitati "
revexit trophæum, quam patriæ liberatæ. "

SECTIO SECUNDA.

Nedùm Robertus, ſed Font-Ebraldenſes etiam Moniales ex ſancti hujus fundatoris informatione ad ſubeundum pro defenſione caſtitatis Martyrium erant paratiſſimæ.

PROFERT exemplum ex Joanne Valenſi P. Theophilus Raynaudus, in Triad. fort. David. pag. 92. quod ſtupore defigit lectores. * Viſerat, *inquit*, Cœnobium Font-Ebraldenſe Princeps, cujus nomen preſ- "
ſum eſt, & defixis curioſiùs in unam Sanctimonialium "
oculis, non ſecùs ac Holofernes viſâ Judithâ, captus "
eſt in ſuis oculis. Eam de nocte, eam interdiù voluebat "
animo. Itaque aliquo poſt tempore, ex aulicis unum "
ſubmittit, qui moniali abs ſe ſalutem diceret, veriùs "
qui lenocinaretur, & aditum muniret ad optatos am- "
plexus ſacrilegos. Intellexit Virgo, quid illis cineribus "
ſuberat, & ſciſcitata ecquid in ipsâ princeps cenſuiſ- "
ſet amore dignius, audivit ab aulico, raptum fuiſſe à "
ſpecie oculorum, qui velut gemina ſydera in ejus "
vultu micarent. Tantillas inducias ad reſponſum Prin- "
cipi dandum popoſcit pia Virgo; & digreſſa ab au- "
lico, arrepto cultello, ambos ſibi oculos effodit, & "
diſco impoſitos transfert ad aulicum, tranſmittendos "
ad principem. Profeſſa, quando nihil in ea ſuprà "
oculos ſuſpexiſſet, potiretur ſanè ad ſatietatem deſi- "

Digitized by Google

" derabilibus ſuis. Cohorruit ad Virginis facinus aulicus; " & qui procatum vel lenocinatum venerat, rediit " transfixus animo, ad tam inſolitum facinus. Nec mi- " nùs principem pupugit audax heroinæ hujus factum; " qui, quia oculos reſtituere non poterat, penſavit dam- " num in alio genere, collatis cœnobio inſignibus mu- " neribus, excitatiſque ad ægrorum uſum ædificiis; " fortaſſis in quibus Virgo exoculata exciperetur, or- " bitatem ſuam eâ commoditate ſolatura.] Quantus in hac Virgine caſtitatis amor! quis credat ipſam infructuoſum martyrii genus, quod inverecundâ fronte exprobratur, pertuliſſe? ſubiit quidem novum & inauditum, ſed maximè fructuoſum & meritorium pro tuenda caſtitate martyrium, quando ſibimetipſa oculos exculpſit; vita enim præ cæcitate jure merito viva mors nuncupatur. Ex hoc autem exemplo, de ardenti aliarum ejuſdem ordinis Monialium amore erga pudicitiæ florem ex Roberti inſtitutione concepto, libet dijudicare.

SECTIO TERTIA.

Multiplex, fructuoſum, & meritorium à beato Roberto & alumnis ejus Fonte-Ebraldi toleratum Martyrium.

ROBERTI ætate reperiebatur quidem Fonte-Ebraldi multiplex, ſed maximè meritorium & utile Martyrium. Etenim vera quædam Martyrii genera ſunt paupertas voluntaria, aſperitas carnis, & ſpiritûs mortificatio, ut ait ſanctus Bernardus Serm. 1. in Feſto omnium Sanctorum propè finem. *Quid ſibi vult*, inquit, *quod eadem promiſſio facta eſt paupe-*

Digitized by Google

ribus & Martyribus niſi quia verè Martyrii genus paupertas voluntaria eſt? quid mirabilius? aut quod Martyrium gravius eſt, quàm inter epulas eſurire, inter veſtes multas & pretioſas algere; paupertate premi inter divitias, quas offert mundus, quas oſtentat malignus, quas noſter deſiderat appetitus? an non meritò coronabitur, qui ſic certaverit, mundum abjiciens promittentem, irridens inimicum tentantem, & quod glorioſius eſt, de ſemetipſo triumphans, & crucifigens concupiſcentiam prurientem. Suffragatur ſanctus Papa Gregorius Homil. 3. ſuper Evangelia circa finem. *Quamvis occaſio perſecutionis deſit, habet pax noſtra Martyrium ſuum; quia etſi carnis colla ferro non ſubdimus, ſpiritali tamen gladio carnalia deſideria in mente trucidamus.*

Hæc autem & alia Martyrii genera, meritoria maximê & fructuoſa, vivo Roberto, Fonte-Ebraldi tolerabantur. Teſtis eſt ſanctus iſte Inſtitutor moriens, & Leodegarium Bituricenſem Archiepiſcopum his verbis alloquens. [a]. † Non rogo te, ut ſepelias me in " Monaſterio, vel in clauſtro, ſed tantùm inter fraterculos meos in Fontis-Ebraldi luto. Ibi ſunt Preſbyteri " mei atque Clerici: ibi etiam ſunt ſanctæ Virgines, " Viduæ, & Continentes, die ac nocte in Dei laudibus " perſeverantes; ibi ſunt chariſſimi mei leproſi atque " leproſæ meæ: ibi ſunt boni ſocii peregrinationis meæ: " ibi ſunt illi, qui paupertates & labores pro Chriſto " mecum diù ſuſtinuêre: ibi ſunt qui frigora & calores, " miſerias & tribulationes pro animarum ſuarum ſalute " patienter ſuſtinuerunt: qui ad vocem prædicationis " meæ, inſpirante Deo, & ſe & ſua reliquerunt: quorum alii corpore vivunt, alii verò in obedientia perſeverantes obierunt. "

Teſtis eſt ejuſdem multiplicis Martyrii Guillelmus

a, Fr. Andreas cap. 6. num. 33.

Malmeſburienſis, lib. 5. de Regibus Anglorum, in quo & exordium Font-Ebraldenſis Monaſterii deſcribit, & ejuſdem celebrat ſanctitatem. † Hujus Petri, „ (*Pictavienſis Epiſcopi*) fuerunt contemporanei, & „ in religione ſocii Robertus de Arbriſſel, & Bernar- „ dus Abbas Tironenſis; quorum primus omnium hu- „ jus temporis Sermocinatorum famoſiſſimus, & profu- „ ſiſſimus, tantùm non ſpumeâ, ſed melleâ viguit elo- „ quentiâ; ut hominibus certatim opes congerentibus, „ illud egregium Sanctimonialium Monaſterium apud „ Fontem-Ebraldi conſtrueret, IN QUO, TOTA SÆ- „ CULI VOLUPTATE CASTRATA FOEMINA- „ RUM DEO DEVOTARUM, QUANTA NUS- „ QUAM, MULTITUDO IN DEI FERVET OB- „ SEQUIO. Nam præter cæterarum illecebrarum abdi- „ cationem, quantulum illud eſt, quòd in nullo loco „ loquuntur, niſi in capitulo, propoſitâ à magiſtro pe- „ rennis taciturnitatis regulâ, quia ſemel laxato ſilen- „ tio fœminæ pronæ ſunt ad muſſitandum frivola.

Teſtis etiam Jacobus de Vitriaco S. R. E. Cardinalis, Hiſtoriæ Occidentalis, cap. 20. Ubi de Monachis nigris loquens, ſic habet. † Hæc autem prædicta diximus, ſalvâ pace, & reverentiâ quorum- „ dam hujus ordinis ſanctorum & venerabilium con- „ ventuum, qui adhuc in honeſtatis, & laudabilis „ converſationis propoſito, & Religionis diſtrictione „ perſeverant: ejuſmodi ſunt Cluniacenſes in capite, „ & in quibuſdam eorum membris à capite non diſcre- „ pantibus: ſicut apud ſanctum Martinum de Campis „ in Pariſienſi civitate; & prætereà Monachi Religioſi „ Cantuarienſes in Angliâ, & illi qui ſunt de Afflen- „ gien in Brabantiâ, ET SANCTIMONIALES NI- „ GRÆ DE FONT-EVRAULT; cum quibuſdam „ aliis Deo devotis Monachorum nigrorum conventi- „ bus: quorum charitatem & humilitatem, labores

aſſiduos,

aſſiduos, & opera penè importabilia novit ille, qui "
eis patientiam & perſeverantiam ſubminiſtrat; ut "
aliis in viâ deficientibus, ipſi ad deſtinatum ſibi bra- "
vium feſtinantes, finem conſequantur optatum. "

Font-Ebraldenſes mundo vides mortuos, mundo vides crucifixos, vides & mundum mortuum ipſis & crucifixum. Unde quod D. Paulus de ſeipſo effatus eſt. [a]. *Mihi mundus Crucifixus eſt, & ego mundo.* De illis ævo B. Roberti non dubitaverim aſſerere. Sunt equidem quibus mundus mortuus eſt, quia mundus eos in oblivionem tradit: ſed ipſi mundo nequaquam ſunt mortui; cum, tanquam vivi, ſentiant & cogitent quæ ſunt mundi. Similes in hoc Iſraëlitis, quibus Ægyptus mortua erat, quippe quæ eos expulerat, & fuerat inſectata crudeliùs: at ipſi non erant Ægypto mortui, cum cepis ejus paſci peroptarent, & alliis veſci. Quidam pariter mundo ſunt crucifixi, ſed ipſis viciſſim mundus non eſt crucifixus. Crucifixus enim deſpicatiſſimus eſt & contemptiſſimus. Illi itaque ſunt mundo crucifixi, quia deſpicit eos & contemnit mundus: ſed ipſis mundus non eſt crucifixus, quia mundum & quæ ſunt mundi, non parvi, ſed plurimi faciunt. At Font-Ebraldenſibus, Roberti tempore, nedùm mortuus erat mundus, ſed ipſi etiam mundo mortui erant, quia non cogitabant, nec quæ ſunt mundi ſentiebant. Nedùm mundo crucifixi erant, ſed ipſis etiam mundus erat crucifixus; cùm & mundum, & quæ in mundo ſunt, divitias, honores, & delicias pro nihilo haberent. *Ibi ſunt Presbyteri mei atque Clerici: ibi etiam ſunt ſanctæ Virgines, Viduæ, & Continentes, die ac nocte in Dei laudibus perſeverantes: ibi ſunt illi, qui paupertates & labores mecum diu ſuſtinuêre: ibi ſunt qui frigora & calores, miſerias & tribulationes patienter ſuſtinuerunt.* Idem teſtatur præfatus Guil-

[a]. ad Galat. 6. v. 4.

lelmus Malmeſburienſis B. Roberto ſuppar. Idem prælaudatus Jacobus de Vitriaco, qui circiter annum 1235. florebat. Ex quo rectè colligitur, Font-Ebraldenſes Moniales centum & triginta quinque annorum tractu, neutiquam à fervore deflexiſſe, quo, beato vivente Roberto, flagrabant. Perſpicuum id reddetur tertiâ quartâq; Diſſertatione, in quibus octingenta & ampliùs tàm diplomata Pontificum, quàm Privilegia Regum Franciæ, Angliæ, & Hiſpaniæ, necnon reſcripta Principum, Comitum, & cœterorum Nobilium proferentur, variis ex tablinis deprompta: quæ multa de præfatis Regibus, de Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Abbatibus Gallicanis, atque de Illuſtribus Andegavenſium, Pictavienſium, Turonenſium, aliorumque Francorum familiis obſervatu digniſſima complectuntur. Ex his autem omnibus, calumniæ à quocunque veteratore in B. Robertum de Arbriſſello ac primos ejus alumnos adornatæ, vel adornandæ, copioſiſſimè, ſtudioſiſſimè, & acerrimè contundentur.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

INDEX.

Diſſertationum, Capitum, Sectionum, Subſectionum, &c. quæ primo hoc Clypei Font-Ebraldenſis Ordinis tomo continentur.

DISSERTATIO prima. *Probroſæ utriuſque Epiſtolæ titulus impugnatur.* pag. 1. Injurioſa B. Roberto Arbriſſellenſi Epiſtola, Goffrido Vindocinenſi Abbati ſuppoſita, in quindecim librorum millibus refertur, vel commemoratur. 2. An culpâ vacet P. Sirmondus, qui eam è tenebris primus eruit?

Caput primum. *Impugnatur primæ Titulus Epiſtolæ.* pag. 3.

Sectio prima. *Primum argumentum proponitur, ex Petri Abælardi teſtimonio deſumptum: & reſponſiones R. P. Alexandri labefactantur.* pag. 4. Petri Abælardi Abbatis Ruyenſis teſtimonium, non ad B. Robertum de Arbriſſello celebrandum producitur, ſed ad procacis Epiſtolæ duntaxat indicandum autorem. 2. In hoc, ut potè re hiſtoricâ, fides Abælardo non eſt deroganda. 3. Vitam pœnitentiæ piiſque operibus addictam ſancto fine clauſit Abælardus, ex Petro venerabili, Cluniacenſi Abbate, Epiſtolâ ad Heloiſſam.

Subſectio prima. *Primum argumentum proponitur.* pag. 5. Maxima inter Goffridum Vindocinenſem & Roſcelinum diſſimilitudo. 2. Hic teſte Abælardo Epiſtolâ 21. ad G. Pariſienſem Epiſcopum *contra egregium præconem Chriſti Robertum Arbroſſello, contumacem auſus eſt Epiſtolam confingere.* 3. Ex ſancto Anſelmo Epiſtolâ 41. lib. 2. affirmavit, *in Deo tres*

Digitized by Google

perſonas eſſe tres res ab invicem ſeparatas, ſicut ſunt tres Angeli. 4. Ex Ivone Carnotenſi Epiſt. 7. errores, quos in Concilio Sueſſionenſi ejuraverat, iterùm propugnavit. 5. Ex Aventino lib. 6. annal. *Fuit Britannus, Petri Abælardi magiſter, & auctor Nominalium, qui avari rerum, verborum videntur eſſe aſſertores.* 6. Quatuor Epiſcopi, quorum nomina incipiunt à littera G. Eccleſiæ Pariſienſi, vivente Abælardo, præfuerunt; ſcilicet Goffridus *de Boulogne*, Guillelmus *de Montfort*, Galo ſedis Apoſtolicæ legatus, & Girbertus.

Subſectio ſecunda. *Reſponſiones patris Alexanri labefactantur.* pag. 10. Epiſtola in Robertum de Arbriſſello conficta à Roſcelino dici poteſt, vel ob fictitia crimina, quæ in ſanctum Fundatorem conjiciebat, vel quia alieno nomine erat obtruſa. Quocunque autem modo prædictum verbum *confingere* ſumatur, multiplex ruit P. Alexandri reſponſio.

Articulus primus. *Evertitur prima patris Alexandri reſponſio.* pag. 11.

Articulus ſecundus. *Evertitur ſecunda patris Alexandri reſponſio.* pag. 13. Prædicta Epiſtola ſub nomine Goffridi Vindocinenſis rectè dicitur conficta; cùm eam ipſe minimè ſcripſerit. Ita illuſtriſſimus Cardinalis Bona. Ita Joannes Bollandus, & Godefridus Henſchenius eruditiſſimi è ſocietate Jeſu Scriptores. Ad hanc opinionem adivit tandem Jacobus Sirmondus, teſte prælaudato Bollando. Adivit & Theophilus Raynaudus ductus aliàs primâ Sirmondi ſententiâ.

Articulus tertius. *Reſponſio P. Alexandri de Sirmondi palinodiâ expenditur, atque confutatur.* pag. 16. Sirmondus vana, futilia, falſaque indagavit, & ſcriptis mandavit. Ex pluribus idoneis teſtibus tres eduntur Theologi coævi Ordinis Prædicatorum, P. Joannes Baptiſta Gonet, P. Vincentius Contenſon,

P. Natalis Alexander. 2. Convincitur Sirmondus, P. Alexandro quantumlibet reluctante, Epiſtolam, quæ ſub Goffridi nomine circumfertur, illuſtraſſe notis Roberto Arbriſſellenſi, Sanctimonialibus, & Monachis Fontis-Ebraldi ignominioſis. 3. Excuſsâ diligenter Sirmondi hac in re agendi ratione, iniquus, inconſideratus, & contumelioſus in B. Robertum extitit. 4. Honorificentiſſimum doctiſſimi Cardinalis Baronii de B. Roberto teſtimonium. 5. Exclamanti Sirmondo. *Mira Roberti ſimplicitas & confidentia*, rectè reponitur. *Mira Sirmondi credulitas, & imprudentia.* 6. Joanni à Manu-Firma Font-Ebraldenſi Monacho remittere deberet P. Alexander, quod ſibi condonandum cenſuit in expoſtulatione cum Reverendiſſimo patre Joanne Paulo Oliva Societatis Jeſu præpoſito Generali.

Sectio ſecunda. *Secundum argumentum proponitur, ex tempore, quo hæc à Goffrido ſcribi potuiſſet Epiſtola, deductum; & R. P. Alexandri reſponſio refellitur.* pag. 26.

Subſectio prima. *Secundum argumentum proponitur.* ibidem.

Articulus primus. *Probroſa hæc Epiſtola non eſt à Goffrido ante fundatum ordinem conſcripta.* pag. 27. Andegavi juſſit Urbanus ſecundus Robertum coram ſe concionari: *intellexit, quòd Spiritus ſanctus os ejus aperuerit:* Apoſtolicum concionatorem eum inſtituit. 2. Extructæ à Raginaldo Barone Credonenſi Abbatiæ de Rotâ præficitur Robertus, confirmante ſummo Pontifice, laudantibus Cardinalibus, & approbantibus Gallicis Præſulibus.

Articulus ſecundus. *Probroſa hæc Epiſtola non eſt à Goffrido fundationis tempore conſcripta.* pag. 32. Sub initium Ordinis Goffridus frequens verſabatur Fonte-Ebraldi. 2. Hujus loci Religioſas *Sanctimo-*

niales & Deo dilectas nuncupat Epiſt. 32. lib. 4.

Articulus tertius. *Probroſa hæc Epiſtola non eſt à Goffrido poſt fundatum ordinem conſcripta.* pag. 33. Goffridus præ omnibus Abbatibus prædicatur *familiaris & beneficus Fontis-Ebraldi.* 2. Cum Roberto & alumnis ejus arctiſſimam init ſocietatem.

Subſectio ſecunda. *Reſponſio P. Alexandri refellitur.* pag. 35.

Articulus primus. *Prima pars reſponſionis P. Alexandri infringitur.* pag. 36.

Articulus ſecundus. *Secunda pars reſponſionis P. Alexandri diluitur.* pag. 37. Utraque Epiſtola Goffrido & Marbodo ab aliquibus adſcripta , *non tantùm dura eſt , ſed petulans , irriſoria , inſultabunda.* Patet ex accuratâ ipſarum collatione.

Articulus tertius. *Tertia pars reſponſionis P. Alexandri infirmatur.* pag. 45.

Sectio tertia. *Tertium argumentum proponitur , petitum ex frequentibus Goffridi ad Font-Ebraldenſe Monaſterium itineribus.* pag. 46. Defuncto B. Roberto Goffridus Fonte-Ebraldi ſæpiùs diverſabatur. 2. Petronillam primam Font-Ebraldenſem Abbatiſſam Turones & Andegavum deduxit.

Sectio quarta. *Quartum argumentum proponitur, depromptum & ab ingrato Epiſcopo vituperato à Goffrido , & à ſiniſtrâ apud populum diſcurrente famâ ab eodem Goffrido damnatâ & deſpectâ.* p 50.

Subſectio prima. *Ingratus Epiſcopus à Goffrido vituperatur.* ibidem.

Subſectio ſecunda. *Siniſtra apud populum diſcurrens fama à Goffrido damnatur , & deſpicitur.* p. 52.

Sectio quinta. *Quintum argumentum proponitur, ex quibuſdam loquendi formulis Goffrido Vindocinenſi tritis repetitum.* pag. 54. Siniſtro de B. Roberto diſcurrenti rumori non credidit Goffridus : at

petulcæ hujus autor Epiſtolæ, & Sirmondus ei fidem adjunxerunt.

Sectio ſexta. *Sextum argumentum proponitur, ex Vindocinenſi & Cænomanenſi codice ſuppeditatum.* pag. 59. Differentia inter duos illos codices. 2. In Vindocinenſi, teſte Reverendiſſimo patre Marſolle non extat probroſa in B. Robertum Epiſtola.

Sectio ſeptima. *Septimum argumentnm proponitur, ex ſacræ ſcripturæ ſententiis ab autore Epiſtolæ laudatis erutum.* pag. 63. Opinio Goffridi de de bonitate & ſexûs fœminei malitiâ.

Sectio octava. *Octavum argumentum proponitur, ex rationibus, quibus R. P. Alexander ſecundam Marbodo abjudicat Epiſtolam, deſumptum.* pag. 65.

Caput ſecundum. *Impugnatur ſecundæ titulus Epiſtolæ.* pag. 67.

Sectio prima. *Prima ratio petita ex aliquibus opuſculis Marbodo ſuppoſitis.* ibidem. Epiſtola Marbodo Redonenſi Epiſcopo à nonnullis tributa, Pariſiis in manuſcripto Victorino Hildebertinas inter litteras reperitur numero nonageſima ſexta.

Sectio ſecunda. *Secunda ratio petita ex bona Roberti & Font-Ebraldenſium apud Goffridum, Marbodum, & Hildebertum exiſtimatione.* pag. 68.

Font-Ebraldenſes Moniales ab Hildeberto Turonenſi Archipræſule *Virgines Chriſti* ſunt nuncupatæ. 2. Roberto *infinitæ religionis* laudem conceſſit Marbodus.

Sectio tertia. *Tertia ratio petita ex benevolentiâ, quâ Goffridus, Marbodus, & Hildebertus Robertum & ejus alumnos proſequebantur.* pag. 71. Hildebertus modò ſecundùm Ordinem Fontis-Ebraldi lites dijudicat, modò ſubſcribit factis ipſi donationibus, tùm poſtulat eas à ſummo Pontifice confirmari: ne longum ſit, ſemper & ubique maximam ei præ-

ſtat benevolentiam. 2. in Concilio Engoliſmenſi Marbodus cum Hildeberto & pluribus aliis Epiſcopis anno 1118. inſigniter favit Font-Ebraldenſibus 3. ex citato hujus Concilii decreto innoteſcunt, qui ei interfuerint, Antiſtites. 4. in eodem decreto Præſules Aremorici dicuntur ſuffraganei Archiepiſcopi Turonenſis.

Momentoſa reflexio. pag. 75. Invicta virtus Hildeberti adversùs Henricum primum Angliæ Regem, & Rothrocum Comitem. 2. indicantur Concilia ab anno 1100. ad annum 1118. in Galliis celebrata. 3. alia eduntur Concilia, quæ Clericis uxorum uſum, aut concubinarum conſortium vetuerunt. 4. nomine *Agapetarum* intelliguntur fœminæ, quæ in Clericorum obſequio & miniſterio erant, in locum aut matrum, aut ſororum, aut filiarum aſſumptæ.

Sectio quarta. *Quarta ratio petita ex donis Roberto collatis, Marbodo & Hildeberto approbantibus.* pag. 85.

Sectio quinta. *Quinta ratio petita ex multiplici Marbodi, Hildeberti, Goffridi, & Roberti congreſſu.* pag. 86. Hildebertus Cenomanenſis, Marbodus Redonenſis, Goffridus Vindocinenſis, & Robertus Arbriſſellenſis ſtatuuntur à Paſchali, Pontifice maximo, judices motæ inter Archembaldum & Paganum de Abbatiâ ſancti Albini controverſiæ.

Sectio ſexta. *Sexta ratio petita ex perpetuo Goffridi, Marbodi, & Hildeberti de Font-Ebraldenſium immoderationibus ſilentio.* pag. 89. Effrænata vitæ licentia Abbatis & Monachorum Ebronenſium. 2. Roſcelinus vel alius profligatus Clericus eſt hujus ſecundæ machinator Epiſtolæ. 3. ad Gregorium ſeptimum acceſſit ſimilitudine Robertus.

Diſſertatio ſecunda. *Speciales in B. Robertum calumniæ diluuntur.* pag. 95.

Capur primum. *Beatus Robertus à malâ exiſti-*
Digitized by Google

[...]atione vindicatur. ibidem.
Sectio prima. *Teſtis, adverſùs B. Robertum ab utriuſque Epiſtolæ ſcriptore productus, diligenter expenditur.* pag. 96. Fama mendax eſt, incertus, & fallax nuncius.
Sectio ſecunda. *In B. Robertum fama nunquam teſtificata eſt, ſive de B. Roberto ſiniſtra nunquàm diſcurrit fama.* pag. 98. Diſcrepantia inter rumorem, famam, & ſuſurrationem.
Subſectio prima. *Primum argumentum proponitur.* pag. 100. Summi Pontifices, Epiſcopi, & Abbates; Principes & celeberrimi Scriptores Robertum bonum collegiſſe rumorem verbis conceptis aſſerunt.
Subſectio ſecunda. *Secundum argumentum proponitur.* pag. 103. Robertus viuens magnis cumulatus eſt honoribus, majoribus moriens, mortuus maximis. 1. à nobilibus & pauperibus. 2. ab Epiſcopis & Clericis. 3. à Romanis Pontificibus. 4. à Regibus & Principibus. 5. à viris clariſſimis diſſidentibus. 6. ab innumeris peccatoribus ab ipſo converſis.
Subſectio tertia. *Tertium argumentum proponitur.* pag. 106. Inutiliter urſit P. Alexander exemplum ſancti Gilberti Sempringhamenſis, laſciviæ famam ſubeuntis.
Subſectio quarta. *Quartum argumentum proponitur.* ibidem. Virtus aliorum nobis eſt incredibilis, at vitium, & maximè laſcivia, ſemper eſt Evangelium.
Caput ſecundum. *Beatus Robertus in abjectâ fratrum, & ſuſceptâ ſororum gubernatione à culpâ eximitur.* pag. 112.
Sectio prima. *Beatus Robertus in abjectâ fratrum gubernatione à culpâ eximitur.* pag. 113. Maxima inter ſanctum Sigfridum & B. Robertum ſimilitudo.
Sectio ſecunda. *Beatus Robertus in ſuſceptâ ſororum gubernatione à culpâ eximitur.* pag. 116. Non-

nullæ directoris Monialium dotes. 2. Robertus non ſe ipſum in regimen Monialium interpoſuit : ſed illud à ſanctis viris fuit ei demandatum. 3. venuſtiſſima & copioſiſſima devoti ſexûs celebratio ſacris ex litteris deducta.

Caput tertium. *Beatus Robertus in vituperatione Clericorum à culpâ eximitur.* pag. 120.

Sectio prima. *Beatus Robertus, non Eccleſiaſticum Ordinem, ſed pravorum carpſit crimina Clericorum.* pag. 121. Britanniam, Normanniam, & alias Galliæ Provincias concionando perluſtrat. 2. admirabilis ejus contra Clericos conjugatos zelus. 3. peſſimorum ritus accuſatorum.

Sectio ſecunda. *Beatus Robertus benè moratos Eccleſiaſticos ſemper plurimi fecit, veneratus eſt, beneficiis obſtrinxit.* pag. 127.

Caput quartum. *Beatus Robertus in effuſionibus hominum ex oppidis, in concurſibus ex agris &c. à culpâ eximitur.* pag. 132.

Sectio prima. *Beatus Robertus in concurſu populorum à culpâ eximitur.* pag. 132. è concionibus B. Roberti diſcedebant auditores, ſicut è Calvariæ monte Chriſti crucifixi ſpectatores, *percutientes* nimirùm *pectora ſua.* 2. Font-Ebraldenſes vocantur à ſummis Pontificibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Abbatibus; à Regibus, Principibus, Nobilibus, & Hiſtoricis *ſanctiſſimus ordo, ſancta congregatio tam virorum quàm mulierum, ſacer conventus Fontis-Ebraldi, ſanctum Collegium de Fonte-Ebraudi, piiſſima Fontis-Ebraldi congregatio, famoſiſſimum cœnobium, egregium, famoſum, & nobile Monaſterium, celeberrimæ Religionis titulo inclytum.*

Sectio ſecunda. *Beatus Robertus de ſtudio lucri purgatur multiplici teſtimonio.* 1. *Baldrici Dolenſis Archiepiſcopi.* 2. *Epiſcoporum, qui eum ſuas in*

Digitized by Google

diœceſes ad nova conſtruenda Monaſteria evocarunt. 3. *Nonnullorum Abbatum, qui de quibuſdam prædiis cum ipſo diſceptarunt.* pag. 135.

Subſectio prima. *Beatus Robertus de ſtudio lucri purgatur multiplici teſtimonio Baldrici Dolenſis Archiepiſcopi.* pag. 135.

Subſectio ſecunda. *Beatus Robertus de ſtudio lucri purgatur multiplici teſtimonio plurium Epiſcoporum, qui eum ſuas in diœceſes ad nova conſtruenda Monaſteria evocarunt.* pag. 137.

Articulus primus. *Beatus Robertus à Petro Pictavienſi Epiſcopo advocatur*, pag. 137. præter Font-Ebraldenſe Cœnobium, plura inſuper ejuſdem Ordinis Monaſteria prælaudatus Petrus in ſuâ diœceſi conſtruenda curavit 1. Monaſterium de Podia. 2. Monaſterium de Gainâ 3. Monaſterium de Villaſalem. 4. Monaſterium in Landâ de Bello quercu. 5. Monaſterium de Tucione, &c.

Articulus ſecundus. *B. Robertus à Leodegario Bituricenſi Archiepiſcopo advocatur*, pag. 144. Leodegarius Urſanenſe condidit Monaſterium, in quo ſanctus Inſtitutor laboribus confectus, & in omni ſanctitatis genere perfectè verſatus, ſpiritum Deo reddidit.

Articulus tertius. *B. Robertus ab Amelio Toloſano Epiſcopo advocatur*, pag. 147. Amelius famâ viri Dei permotus, eum iterùm, & tertiò rogavit, ut aliquod in Pontificiâ ſuâ ditione cœnobium ædificaret.

Articulus quartus. *Beatus Robertus à Guillelmo Petragoricenſi Epiſcopo advocatur*, pag. 148. Guillelmus cum fervidæ & eloquentiſſimæ ſancti Fundatoris concioni in capitulo divi Frontonis adfuiſſet, ab eo efflagitavit, ut in aliquo diœceſis ſuæ loco Religioſam Font-Ebraldenſis Ordinis domum inſtitueret. 2. Monaſterium B. Mariæ de Cadunio extruxit Robertus: quod conceſſum beato Giraldo de Salis, ad Abbatiæ

Digitized by Google

Ciſtercienſis Ordinis titulum poſteà fuit evectum. 3. explicatur de Roberto illud Pſalmiſtæ. *Vox tonitrui tui in Rotâ.*

Subſectio tertia. *Beatus Robertus de ſtudio lucri purgatur nonnullorum teſtimonio Abbatum, qui cum ipſo de quibuſdam prædiis diſceptarunt.* p. 152.

Articulus primus. *Controverſia cum Sybillâ ſanctæ Crucis Pictavienſis Abbatiſsâ ſedatur.* ibidem.

Articulus ſecundus. *Controverſia cum Guillelmo S. Florentii Salmurienſis Abbate componitur.* p. 153.

Articulus tertius. *Controverſia cum Ioanne Dolenſi Abbate tollitur.* pag. 155.

Articulus quartus. *Controverſia cum Petro Sulienſi Abbate dirimitur.* ibidem.

Articulus quintus. *Reflexio.* pag. 158. Vel ipſi Font-Ebraldenſis Ordinis adverſarii ſummum B. Roberto honorem detulerunt: & magnificè de illo primiſque ejus alumnis ſenſerunt. 2. Deus *inhabitat in juſtis, & inambulat inter eos.*

Sectio tertia. *Beatus Robertus de comitatu mulierum purgatur.* pag. 159. Imò purgatione non indiget: fecit enim hoc authoritate & exemplo Chriſti Domini, ſancti Pauli, & aliorum Apoſtolorum.

Caput quintum. *Beatus Robertus in abjecto habitu, in barbâ prolixa, in tonſurâ Monachali à culpâ eximitur.* pag. 162.

Sectio prima. *Sancti viri habitum pannoſum, aſperum, Monachalem induunt: Hæretici verò eum carpunt, damnant, deſpiciunt.* pag. 163. Sancti viri. *Elias, Sancti veteris teſtamenti, ſanctus Ioannes Baptiſta, ſanctus Pachomius atque Ægyptii Monachi, Sancti B. Roberto ætate pares, &c.* 2. Hæretici. *Magdeburgenſes, Volphangus Muſculus, Calvinus, Hortenſius Landus, &c.* 3. Enodantur quædam ſacræ Scripturæ loca, quibus tonſura impugnatur, &
Digitized by Google

calceorum exemptio.

Sectio ſecunda. *Sancti Patres atque Concilia habitum Monachalem prædicant & præcipiunt.* p. 167. Sancti Patres. *Sanctus Dionyſius, ſanctus Athanaſius, ſanctus Hieronymus, &c.* 2. Concilia. *Nicænum primum, Toletanum quartum, Aquiſgranenſe primum, &c.* 3. Multiplex profertur ratio, cur Monachi utantur veſte horridâ, ſacco, cucullis, & tondeantur. 4. Mos invaluit Epiſcopum deprecandi per ipſius coronam. 5. Robertus de Arbriſſello, Vitalis de Mauritanio, & Radulphus de Fuſteia *Principes erant, & Magiſtri Eremitarum* in Cenomannicâ, Britannicaque regione degentium.

Sectio tertia. *Beatus Robertus ſanctorum Anachoretarum, & præcipuè ſancti Ioannis Baptiſtæ impiger æmulator.* pag. 171.

Subſectio prima. *Vaticinatio de ſancto Ioanne Baptiſta, & de B. Roberto.* ibidem. Utrique tribuitur illud Luc. 1. *& multos filiorum Iſraël convertet ad Dominum Deum ipſorum.*

Subſectio ſecunda. *Commoratio ſancti Ioannis Baptiſtæ, & B. Roberti in deſerto.* pag. 173. Ampliſſimæ Joannis Baptiſtæ & Roberti laudes. 2. Uterque *vox clamantis in deſerto.*

Sectio quarta. *Beatus Robertus Canonum à Conciliis & ſanctis Patribus conditorum obſervantiſſimus.* pag. 176. Canones à ſanctis Patribus & Conciliis de veſtimentis traditos, nedùm ipſe ſervavit Robertus, ſed ſervandos etiam Religioſè alumnis ſuis demandavit.

Caput ſextum. *Beatus Robertus à culpâ Phariſaicæ hypocriſis & ſuperbiæ eximitur.* pag. 178.

Sectio prima. *Beatus Robertus à culpa Phariſaicæ hypocriſis eximitur.* ibidem. Pretioſis & mollibus ve-

ſtimentis ferream texit loricam, quâ ad carnem induebatur.

Sectio ſecunda. *Beatus Robertus à culpâ Phariſaicæ ſuperbiæ eximitur.* pag. 179. Immenſum inter Phariſæorum & B. Roberti vitam diſcrimen. 2. Robertum nomine Magiſtri ab alumnis ſuis fuiſſe appellatum verum eſt, ſed falſum more Phariſaico faſtuoſè in iſto titulo gloriatum eſſe: quod unum prohibet Chriſtus Dominus dicens. *Ne vocemini Magiſtri* 3. In Galliâ à quingentis annis & amplius titulus *Magiſtri* non tantùm inſonuit, ſed & communiter acceptus eſt.

Caput ſeptimum. *Beatus Robertus de novo, inaudito, & infructuoſo Martyrii genere purgatur.* pag. 183. Primæ Fabricator epiſtolæ ſuam prodit inſcitiam, dicendo: *hoc ſi modò agis, vel aliquandò egiſti, novum & inauditum, ſed infructuoſum Martyrii genus inveniſti.*

Sectio prima. *Beatus Robertus Martyr quantùm in ipſo fuit pro objurgatione luxuriæ, Martyr pro defenſione caſtitatis, in Concilio Pictavienſi.* p. 185. Illicitus Philippi Francorum Regis erga Bertradam amor. 2. Concilium Pictavienſe ad innuptas ejuſdem Regis nuptias dirimendas convocatum. 3. Infractum animi robur Roberti Arbriſſellenſis, & Bernardi Tironienſis. 4. Martyr quis octo de cauſis efficitur. 5. Falsò tradit chronicon Fuxenſe morem conſignandi Philippi annos in publicis inſtrumentis intermiſſum fuiſſe, quandiù ſub excommunicatione jacuit.

Sectio ſecunda. *Nedùm Robertus, ſed Font-Ebraldenſes etiam Moniales ex ſancti hujus Fundatoris informatione ad ſubeundum pro defenſione caſtitatis Martyrium erant paratiſſimæ.* pag. 191. Profert exemplum ex Joanne Valenſi Theophilus Raynaudus, quod ſtupore defigit lectores.

Sectio tertia. *Multiplex, fructuoſum, & meritorium à B. Roberto & alumnis ejus Fonte Ebraldi toleratum Martyrium.* pag. 192. Vera quædam Martyrii genera ſunt paupertas voluntaria, aſperitas carnis, & ſpiritûs mortificatio. 2. Font-Ebraldenſes mundo mortui & crucifixi, & viciſſim mundus ipſis mortuus & Crucifixus, vivo Roberto. 3. Perpetuum Fonte-Ebraldi ſilentium.



Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

4

Digitized by Google